Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gt
55
594

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Gt 55.594



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE BEQUEST OF
JOHN AMORY LOWELL,
Class of 1815.
This fund is $20,000, and of its income three quarters shall be spent for books and one quarter be added to the principal.

Received 15 October, 1884.

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

AD

THUCYDIDEM PERTINENTES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS LUDOVICUS SCHMITT.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXII.

Gt 55.594

OCT 15 1894

Lowell Fund.

IUSTO HERMANNO LIPSIO

SACRUM.

pag.

Quaestio I: Quales Thucydides aestatis hiemisque notiones intellexisse videatur . . . . . 7—70

Quaestio II: Unde incepisse quo pertinuisse pacem dubiam censuerit Thucydides . . . . . 71—90

Excursus ad quaestionem I . . . . . 91—105

I.

Quales Thucydides aestatis hiemisque notiones intellexisse videatur.

Quaestionem de aestatum hiemumque Thucydidearum natura, quam Dodwellus apparatus annalibus Thucydideis praemissi sectionibus VI. VII. XIV. tetigerat, Ullricus in quaestionibus Aristophaneis (adnotationibus 12 et 13) et E. H. O. Mueller in libello „de tempore quo bellum Peloponnesiacum initium ceperit“ retractaverant, ita tamen ut neuter sententiam suam satis probaret, ante hos paucos annos Unger, vir acutissimus et rerum chronologicarum peritissimus, denuo disceptandam proposuit emissis duabus dissertationibus, quarum priore „zur Zeitrechnung des Thucydides“ (Sitzungsber. d. bayr. Akademie philos.-philol. Cl. 1875 I. 1 p. 28ff.), quam rationem Thucydides in rebus gestis per anni tempestates describendis secutus esset, investigare, altera „der attische Kalender während des peloponnesischen Krieges“ (Sitzungsber. d. bayr. Akad. ph.-ph. Cl. 1875 II. 1 p. 1ff.) fastos Atticos qui fuissent aetate belli Peloponnesiaci restituere conatus est. Quae quod magno cum acumine conscriptae sunt, etsi assensum virorum non ita parvae auctoritatis sibi conciliaverunt et a Volquardseno (Bursian Jahresber. über griech. Chronologie 1876 III. p. 412. 1879 III. p. 109 ff.), Schoenio (B. Jb. über Thucydides 1875 I. p. 855), Holmio (B. Jb. über Sicilien 1875 II. p. 88) satis magna laude sunt elatae, tamen hanc quaestionem nondum ad finem esse perductam comprobant dubitationes satis graves unicuique eorum restantes. Itaque ad eam recolendam aggressus sum et cum Unger maxima certe adhuc diligentia in hanc rem inquisiverit, materiem ita disposui, ut priore parte argumenta rationemque ab eo institutam examinarem altera meam sententiam proferrem.

Caput prius.

Summa totius Ungeri disceptationis hisce potissimum continetur praeceptis. Initium aestatis Thucydidi non idem fuit atque veris, quia nonnullis locis res ineunte statim aestate gestae esse narrantur nec tamen ineuntis veris fit mentio; ubi autem utrumque uno tempore incepisse fertur, casu id accidisse erit statuendum. Atqui non dubium est, quin res IV 52. VII 18 et 19. VIII 7 traditae sint gestae ante initium veris, quod ad aequinoctium vernale (diem 26^{um} mensis Martii) Thucydidem secundum Euctemonis parapegma rettulisse verisimile est (Zeitrechng. p. 32—36); item ex II 103 et III 115 et 116 liquere Unger contendit aestatem post aequinoctium vernale incepisse (Zeitrechng. p. 36 et 37); et cum scriptorem certum diem pro principio aestatis suae habuisse consentaneum sit, elucet eum non fuisse constitutum ex solis cursu (quia ita aut semper cum aequinoctio vernali consentire aut certo spatio atque immutabili sive ante id sive post evenire debebat) sed ex calendario Attico, quoniam nisi hac condicione probata varietas initiorum aestatum cum aequinoctio ex sole certum obtinente locum compositorum non declaratur (Zeitrechng. p. 37 et 38). Fuisse autem Thucydidi epocham aestatis diem illum anni Attici, quo incursio a Thebanis a. 431° in Plataeas est facta, Ungero elucet ex V 20 αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ... ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο et V 26 εὑρήσει τις τοσαῦτα (27) ἔτη λογιζόμενος κατὰ τοὺς χρόνους καὶ ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας (Zeitrechng. p. 31); accidit haec non sicuti Boeckhius voluit ultima nocte mensis Anthesterionis (Mondcyclen p. 77 et 78) sed tertia vel quarta ante finem eius mensis (Zeitrechng. p. 38. att. Kal. p. 9—11)*). Hiemem autem, quippe quae II 31. III 18, 5**). III 100 inierit brevi post φθινόπωρον ἀρχόμενον, quod cum matutino ortu Arcturi (die 16° mensis Septembris) congruebat secundum Euctemonem, Thucydidem verisimile est

*) Conferas praeterea quae Unger adversus Volquardsenum disputavit in „Sitzgsber. d. bayr. Akad. ph.-ph. Cl. 1878 I. p. 95 et 96".

**) In paragraphis afferendis uti soleo numeris editionis Classenianae ex Popponis editione repetitis.

incipientem fecisse inde ab aequinoctio auctumnali (die 26° mensis Septembris) (Zeitr. p. 54—73). Discernuntur ergo duae anni partes et quarto ante finem mensis Anthesterionis die et aequinoctio auctumnali discriptae: quae quamquam non sunt ipsae dimidiae spatii annui, bene tamen quadrant ad V 20 ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου (scil. et τοῦ θέρους et τοῦ χειμῶνος) τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, quia, ne partes plane pares efficiantur, differentia paucorum dierum intercedit (Zeitr. p. 70 et 71). Neque vero mirum est, quod scriptor initium aestatis alia constituit ratione atque hiemis, quoniam diem Plataeensem, quippe qui cum solis cursu collatus nullius esset momenti itaque operosa demum ratione definiendus, commode poterat nisi ex calendario Attico non constituere; ne autem sexto quoque mense post hiemem faceret ineuntem, Thucydides est commotus, quod ternis de octonis annis (nimirum intercalaribus) hiems aestatem singulis mensibus superasset.

At illud ipsum argumentum, quo tamquam fundamento haec ratio est posita — diem incursionis Plataeensis scriptori fuisse initium et universi belli et singulorum annorum —, id ex neutro locorum in auxilium vocatorum mea quidem sententia colligi licet. Nam ex verbis V 20 αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο . . . αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον [ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ] ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο liquet scriptorem computare diligentissime id spatium, quod intercessit inter diem rei primae primo anno gestae et diem pacis Nicianae. Et sive cum Ungero diem ex calendario Attico constitutum sive alio modo definitum sumimus, nihil inest in verbis ἢ ὡς .. ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο nisi terminus, unde in computatione proficiscamur, qua tamen e re minime sequitur eundem diem scriptori etiam fuisse terminum, unde ceteros omnes exordiretur annos aestatesque. Nam spatium inter initium et finem belli decem annorum effici poterat comparato die Plataeensi primi anni cum die congruente decimi anni, quoniam, si Ungeri partes amplectimur, a die 26° m. Anthesterionis ad d. 24^{um} m. Elaphebolionis (cftr. V 19) procedendum, si cum Boeckhio ex solis cursu tempora constituimus, indagandum erat, quot diebus et incursio Plataeensis et pax Niciana post

aequinoctium vernale accidissent, neque vero ulla ratio initiorum annorum inter hos terminos intermissorum erat habenda. Immo scriptor ipse nihil sese in animo habere, nisi ut tempora a die incursionis Plataeensis ad diem pacis Nicianae computet, perspicue significat, quod eodem illo capite (V 20, 3) alteram quoque affert rationem κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας, ex qua, cum utraque earum tempestatum anni dimidiatam partem expleat, decem aestates totidemque hiemes vel decem anni nascuntur. Quae definitio illius spatii a priore differt, quod minus est accurata, quoniam decem prodeunt anni, discrepantia autem paucorum dierum neglegitur; eadem vero docet aestatem non a die incursionis Plataeensis incepisse, quandoquidem pax Niciana iam uno fere mense post diem 26^{um} m. Anthesterionis facta est, aestatis autem initium commemoratur l. V. capite 24° demum exeunte, postquam res cc. 21° ad 24^{um} narratae acciderunt. Aestatum vero initia manifesto cum annorum principiis conveniebant: quo igitur modo Thucydidi sperare licebat legentes aestatis annique initium cum die incursionis Plataeensis conciliaturos esse, cum hoc ipso loco, quo de sua ratione res gestas pro anni tempestatibus narrandi disputaturus eiusque praestantiam comprobaturus erat, initium aestatis a die incursionis Plataeensis alienissimum exhiberet? Nam qua ratione hanc difficultatem summam Unger amoliatur, eam non esse ferendam infra demonstrabitur*).

L. V. c. 26° autem cum legimus (§ 2) ἔτη δε ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι .... (§ 3) εὑρήσει τις τοσαῦτα ἔτη λογιζόμενος κατὰ τοὺς χρόνους καὶ ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας, ubi de initio singulorum annorum quicquam indicetur, equidem non video. Immo rursus computatio eaque minore cum diligentia fit, quoniam ne appositus quidem est ullus computationis terminus, sed κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας item atque in altera ratione c. 20° inventa efficiuntur 27 aestates totidemque hiemes cum discrepantia paucorum dierum, sive ultima hiems non plena est sive aliqui accessere dies.

Tum vero quod Unger (Zeitrechng. p. 31) affirmat consentaneum esse Thucydidem fecisse annos ineuntes a die in-

---

*) Cftr. pp. 22^{a} et 23^{a}.

cursionis Plataeensis (Thukydides hat seine Jahresepoche auf einen ganz bestimmten Tag gestellt, nämlich, was eigentlich selbstverständlich ist, aber auch ausdrücklich von ihm bezeugt wird, auf den Jahrestag des Kriegsausbruches, deinde affert V 20 et V 26, de quibus modo disputavimus), equidem non concedo, quia ambigi nequit, quin scriptor res adumbraturus multum sit meditatus de optima ratione tempora definiendi, atque cum inconstantiam diei ex calendario constituti non posset non intellegere, quid tandem obstabat, quominus a die propinquo ex sole constituto initium aestatis repeteret, item atque Unger eum principium hiemis ex solis cursu computasse censet? Habemus igitur neque testimonium scriptoris neque causas satis probabiles, propter quas hanc epocham cum Ungero statuamus.

Ut autem demonstretur initium aestatis Thucydideae fuisse ex calendario definitum, necesse est ostendantur aestates et ante aequinoctium vernale et post incipientes. Atque l. II. c. 47°, l. IV. c. 52°, l. V. c. 52°, l. VII. c. 18°, l. VIII. c. 7° haud dubie recte animadvertit vir ille doctus aestatem ante ver principium habuisse (nam quas Volquardsenus in Bursiani annalium a. 1879 vol. III. movit dubitationes, eas nihili ducendas esse mox elucebit*); quos vero locos attulit, ut aestates post aequinoctium ineuntes comprobaret, iis videtur aut abusus esse aut artificiose eos interpretatus.

Atque l. II. c. 103° οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Φορμίων ἄραντες ἐκ τῆς Ἀκαρνανίας καὶ ἀφικόμενοι ἐς τὴν Ναύπακτον ἅμα ἦρι κατέπλευσαν ἐς τὰς Ἀθήνας .... καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα οὗτος, καὶ τρίτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα κτέ commemoratur sane ver ante hiemis exitum, sed duplici ratione haec difficultas potest expediri. L. II. c. 102. pp. 1ª et 2ª relatum est Phormionem hieme tertii anni in Acarnaniam vela fecisse, ut res illarum urbium componeret, eosque, qui Atheniensibus non ita dediti viderentur esse, expulisse: inde primum Naupactum revertitur certe hieme exeunte, dein ancoris solutis ἅμα ἦρι κατέπλευσαν ἐς τὰς Ἀθήνας. Hieme igitur exeunte si Naupacto profectus est, facile ipso die aequinoctii in Piraeum invehi

*) Cftr. pp. 32 sqq.

poterat: quod cum statim, postquam narravit ἅμα ἦρι κατέπλευσαν, scriptor annum conficiat illis καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα κτέ, non iniuria quis colligat initium aestatis aut veris principium protenus consecutum esse aut una cum eo fuisse. Atque etiamsi verba οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Φορμίων ... ἄραντες ... καὶ ἀφικόμενοι ἐς τὴν Ναύπακτον ἅμα ἦρι κατέπλευσαν ἐς τὰς Ἀθήνας sic interpretemur, ut ineunte demum vere Phormionem Naupacto profectum esse censeamus itaque pluribus diebus post aequinoctium Athenas advenisse, ut θέρος quoque insequens multo post exordiendum esset, tamen hiemem partem veris complexam esse ne sic quidem necesse est statui, sed intra fines eius narrantur quae res proprie aestati proximae adscribi debebant sed propter conexum cum expeditionibus antecedente hieme gestis praecipiuntur; nam apparet profectionem ex Acarnania, appulsum ad Naupacti litora, reditum Athenas factum unam constituere seriem, quae misere disturbata esset, si ultima illarum rerum interposita formula καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα κτέ esset seiuncta, praesertim cum ad illas expeditiones insequenti aestate susceptas minime spectaret, quoniam initio eius ab Atheniensibus nihil omnino geritur et media demum aestate a Peloponnesiis bellum incursione redintegratur (III 1). At ne hanc loci explicationem probemus, impedimur diligenter inspecta ratione, qua scriptor, si quem una cum aliquo temporis momento vectum esse vel alio modo iter fecisse narraturus est, verbi quae dicuntur tempora moderetur. Atque III 76, 1, ut luculentissima laudem exempla, ὁρμισάμενοι δὲ ἐς Σύβοτα λιμένα τῆς ἠπείρου ἅμα ἕῳ ἐπέπλεον τῇ Κορκύρᾳ usurpatur imperfectum tempus, quod Peloponnesii, cum die illucescente coepissent Corcyram versus in altum provehi, intra primae lucis spatium vectionem non absolverunt (conferantur praeterea II 90, 1 et 94, 2). Atque eadem de causa III 96, 1 αὐλισάμενος δὲ τῷ στρατῷ ἐν τοῦ Διὸς τοῦ Νεμείου τῷ ἱερῷ..... ἅμα τῇ ἕῳ ἄρας ἐπορεύετο ἐς τὴν Αἰτωλίαν vides vocis πορεύεσθαι et V 58, 3 καὶ οἱ Ἀργεῖοι αἰσθόμενοι ἅμα ἕῳ ἐχώρουν vocis χωρεῖν imperfecta adhibita; neque minus IV 32, 2 ἅμα δὲ ἕῳ γιγνομένῃ καὶ ὁ ἄλλος στρατὸς ἀπέβαινον et VI 65, 2 καὶ οἵ τε Ἀθηναῖοι ἅμα ἕῳ ἐξέβαινον ἐς τὸ κατὰ τὸ Ὀλυμπιεῖον ὡς τὸ στρατόπεδον καταληψόμενοι indicatur prima luce terram

ascendi coeptam esse. Si igitur Phormio una cum vere Naupacto demum profectus esset, expectaremus Thucydidem scripsisse οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Φορμίων .... ἅμα τῷ ἦρι κατέπλεον ἐς τὰς Ἀθήνας. At IV 42, 2, quo praeter nostrum uno loco aoristum reperimus, non dubium est, quin Athenienses, postquam noctu in altum sunt provecti, ipsa prima luce naves appulerint (πλέοντες δὲ ἅμα ἕῳ ἔσχον μεταξὺ Χερσονήσου τε καὶ Ῥείτου ἐς τὸν αἰγιαλὸν τοῦ χωρίου), et cum notione vocis καταπλεῖν propria et ipsa significetur aliquem de alto mari ad litora advehi, mihi videtur constare Athenienses et Phormionem cum vere, ipso aequinoctii die vel proximis id insequentibus, in Piraeo ancoras iecisse. Quod autem scriptor paucissimos dies, qui proprie insequentis aestatis erant, hiemi adscripsit, nemo ei dabit opprobrio, quoniam paene insaniae fuisset historiam huius expeditionis ita dissecare, ut cetera omnia in hiemis narratione proderentur, illi autem dies ipsius Athenas reditus intermissa formula et hiemem et annum concludente abriperentur. Quae cum ita sint, Ungero non licebit ullum ex hoc loco petere argumentum.

Plane autem falsus est, quod l. III. c. 116° ipsius scriptoris verbis aestatem post aequinoctium ineuntem denotari arbitratur. Locus hic est: ὁ δὲ Πυθόδωρος ... ἔπλευσε τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἐπὶ τὸ Λοκρῶν φρούριον ... καὶ νικηθεὶς ... ἀνεχώρησεν. ἐῤῥύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης ... καὶ γῆν τινα ἔφθειρε τῶν Καταναίων .... ταῦτα μὲν κατὰ τὸν χειμῶνα τοῦτον ἐγένετο, καὶ ἕκτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε ... τοῦ δ'ἐπιγιγνομένου θέρους κτέ. Inter omnes constat locutione περὶ τὸ ἔαρ tempus significari aequinoctium et praecedens et insequens: unde sequitur, si quis illam Aetnae eruptionem fuisse ante veris principium contendat, eum verba tradita recte interpretatum esse. Meo autem iudicio haec interpretandi ratio etiam verisimillima est habenda: nam si Aetnae eruptio proximis post aequinoctium diebus fuisset, scriptor id certe addita crebra illa locutione ἅμα τῷ ἦρι εὐθύς vel τοῦ ἦρος εὐθὺς ἀρχομένου vel simili significasset. Probe enim eum tempus eruptionis exploratum habuisse monstrat pronomen αὐτό adiectum (περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ), quo adducimur, ut aeque, ac l. II c. 3. p. 4ª (ἐπεὶ δὲ ὡς ἐκ τῶν δυνατῶν

ἑτοῖμα ἦν, φυλάξαντες ἔτι νύκτα καὶ αὐτὸ τὸ περίορθρον ἐχώρουν . .) Plataeenses circa ipsam primam lucem ad aggrediendos Thebanos profectos esse censemus, eruptionem aequinoctio proxime admoveamus. Ut autem Unger primus docuit Thucydidem ad significanda tempora non temere hanc illam locutionem adhibuisse sed suam cuique vim tribuisse, sic spretas illas formulas, quae tempus aequinoctium insequens denotant, ita tantum recte explanabimus, ut eruptionem incepisse paucis ante aequinoctium diebus ponamus. Ergo minime ipsum veris principium hiemi adsignatum est, sed tempus solum proxime id praecedens, id quod etiam illud περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο declarat. Nam addito pronomine τοῦτο indicatur scriptorem iam alicubi de tempore, quod locutione περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ designatur, esse locutum: et vero locutus est de eo enuntiato praegresso ὁ δὲ Πυθόδωρος . . . ἔπλευσε . . . τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἐπὶ τὸ Λοκρῶν φρούριον. Itaque cum locutiones τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος et περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ad idem fere tempus spectent, nisi quod altera (περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο) id magis etiam ad veris principium applicatur, vides summa iniuria ab Ungero hunc locum in illis numerandum esse, quibus tanquam fundamentis sententiam suam de aestatum initio superstrueret.

De tertio loco, l. V. c. 20°, ubi certe hiems post aequinoctium conficitur sed multo etiam post Ungeri epocham, quid sit iudicandum, infra videbimus: nunc inquiramus, num viri i. d. ratio cum omnibus locis conciliari possit.

Atque l. IV. c. 117. p. 1ª Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐκεχειρίαν ἐποιήσαντο si iudicio non praeoccupato adspicietur, nemo veris et aestatis initia eodem fuisse die non censebit; Unger autem incepisse illo anno aestatem compluribus diebus post aequinoctium vernale affirmat, ni fallor, propter discrimen subtilissimum, quod de usu adverbii εὐθύς statuit: de quo, cum in constituenda ratione viro illi docto magno fuerit adiumento, pauca disputare liceat (cftr. att. Kalender pp. 33 et 34).

Sententia Ungeri haec est: εὐθύς adverbium postponi, cum scriptor nihil significare velit nisi aliquod spatium habere initium; cum autem praefigatur, non indicari principium ullius

eventus, sed ipsam rem narratam mature accidisse: quae differentia cum diu mihi fuisset obscura, denique sic enucleanda videbatur, ut Ungerum in locutionibus τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς vel τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος εὐθύς vocem εὐθύς non referre ad principale enuntiati verbum censerem sed arte ad illa τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος vel θέρους adnectere, ut idem significetur atque „primis diebus insequentis hiemis vel aestatis". Postposita igitur εὐθύς vox primam spatii incipientis partem designat, sin autem praeponitur alicui temporis definitioni, sicuti in locutionibus εὐθὺς πρὸς τὸ ἔαρ, εὐθὺς ἐν τῷ χειμῶνι, res narrata ipsa cum aliis comparata mature evenit et verba πρὸς τὸ ἔαρ, ἐν τῷ χειμῶνι loco appositionum notioni εὐθύς sunt adiecta. At quos locos Unger coniunxit, ut usum illum vocis εὐθύς praepositae eliceret, eos non satis distinxit neque diversam eorum indolem perspexit. Nam cum l. VIII. c. 3. p. 2ª τά τε ἄλλα παρεσκευάζοντο ὡς εὐθὺς πρὸς τὸ ἔαρ ἐξόμενοι τοῦ πολέμου referatur Peloponnesios maturo anni tempore bellum fuisse capessituros et εὐθύς vox artissime ad insequens illud πρὸς τὸ ἔαρ alliganda sit (gleich gegen Frühling), ceteris duobus locis ea non tam prope temporis definitioni adhaeret: VIII 3, 1 enim (εὐθὺς οὖν Ἄγις ... ἐν τῷ χειμῶνι τούτῳ ὁρμηθεὶς στρατῷ τινι ἐκ Δεκελείας ... ἠργυρολόγησεν) scriptor postquam capite altero disseruit de Peloponnesiorum ad bellum proximo vere restituendum alacritate, postquam exposuit, quam exsultante omnes tunc Graeci de futuris temporibus spe agitati essent, voce εὐθὺς οὖν ad ipsas res gestas reversus opponit expeditionem, quam Agis ea hieme suscepit, ubi primum Atheniensium calamitatem in Sicilia acceptam comperit. Ut autem hic vox εὐθύς illustratur opposita re praegressa, sic VII 16, 2 (καὶ τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα εὐθὺς περὶ ἡλίου τροπὰς τὰς χειμερινὰς ἀποπέμπουσιν ἐς τὴν Σικελίαν) confertur profectio Eurymedontis ilico effecta cum Demosthenis, qui insequenti demum vere in Siciliam traiecit; atque his quidem duobus locis illa ἐν τῷ χειμῶνι et περὶ ἡλίου τροπὰς certe appositionum instar ad vocem εὐθύς adiecta sunt, cum in exemplo primo εὐθύς et πρὸς τὸ ἔαρ in unum fere coaluerint, ut nullo pacto discerni queant. Et plane simili ratione vides IV 133, 3 (καὶ ἡ Χρυσὶς μὲν εὐθὺς τῆς νυκτὸς δείσασα

τοὺς Ἀργείους ἐς Φλιοῦντα φεύγει) notionem εὐθύς cum temporis definitione τῆς νυκτὸς (gleich in der Nacht) coniunctam; verum quam non liceat ex collocatione quicquam colligi, inde patet, quod l. III. c. 81. p. 1ª (οἱ μὲν οὖν Πελοποννήσιοι τῆς νυκτὸς εὐθὺς κατὰ τάχος ἐκομίζοντο ἐπ' οἴκου παρὰ τὴν γῆν), ubi nulla fit oppositio inter initium noctis et posteriorem partem, sed Peloponnesii nocte statim aufugisse feruntur non proximum diem expectasse, vocem εὐθύς eodem sensu utentem habes postpositam. Neque minus id elucet, cum l. I. c. 142. p. 7ªm οὐδὲ γὰρ ὑμεῖς μελετῶντες αὐτὸ εὐθὺς ἀπὸ τῶν Μηδικῶν ἐξείργασθέ πω comparabis cum l. III c. 112. p. 2ª ὁ δὲ Δημοσθένης δειπνήσας ἐχώρει καὶ τὸ ἄλλο στράτευμα ἀπὸ ἑσπέρας εὐθύς: nam quamquam sine dubio eodem modo, quo εὐθύς ad πρὸς τὸ ἔαρ pertinere intelleximus, et illud ἀπὸ τῶν Μηδικῶν et hoc ἀπὸ τῆς ἑσπέρας accedunt ad vocem εὐθύς, tamen illud postpositum, hoc praepositum est. — Omnes autem ii loci, quibus Unger quod εὐθύς postpositum sit aliam notionem tribuendam esse sibi persuasit, praeter unum cum loco supra laudato (VIII 3, 3 εὐθὺς πρὸς τὸ ἔαρ) eo conveniunt, quod adverbium temporis definitioni presse adiungendum est veluti in illis τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς aliisque. Quod tamen εὐθύς vox ubique postposita est, collocatio non item variatur atque ceteris locis, qui eadem qua l. VIII. c. 3. p. 3ª ratione tenentur, inde explanatur, quod, cum locutionibus τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους et τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος nova particula historiae incohari soleat, tales formulas ad initia quam maxime extollenda a fronte statim novae partis collocari consentaneum est. — Ad illorum autem locorum (VIII 3, 1 et VII 16, 2) normam proxime accedit l. V. c. 76. p. 1ª τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἀρχομένου εὐθὺς οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἦγαγον, ἐξεστράτευσαν; nam cum capite 75° narratum sit Lacedaemonios propter Carnea Epidauriis circumvallatione oppressis succurrere non potuisse, non dubium est, quin recte verba sic intellegamus: statim Lacedaemonii expeditionem suscepere, ubi primum propter religionem licitum est et Carnea celebrare desierunt, id quod accidit ineunte proxima hieme; quamquam igitur eodem modo, quo VIII 3, 1 et VII 16, 2, ad explicandam vocem εὐθύς sententia supplenda vel potius diserte ad-

dita est (εὐθὺς..., ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἦγαγον, .. ἐξεστράτευσαν) et temporis definitio (τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἀρχομένου) ei est appositioni, tamen postpositam illam invenimus, nempe quia scriptor formulam τ. ἐπιγιγν. χειμ. ἀρχομ. ineunte enuntiato collocare malebat: verum si scripsisset εὐθὺς οὖν οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἦγαγον, τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἀρχομένου ... ἐξεστράτευσαν, nulla iam esset concessa dubitatio, quin hic locus plane geminus sit illis. Itaque cum cognoverimus exempla utriusque classis ab Ungero statutae ita esse comparata, ut ex collocatione nulla investigari possit distinctio, omnibus eiusmodi argumentis erit abstinendum.

Unger autem, ut illuc redeam, unde sum digressus, cum l. IV. c. 117° Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐκεχειρίαν ἐποιήσαντο adverbium εὐθὺς postpositum sit illis τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους, ad haec sola verba id referens interpretatur „primis diebus insequentis anni“, et quoniam ad locutionem ἅμα ἦρι non adiectum est ἀρχομένῳ vel εὐθύς eamque latius spectare arbitratur vir i. d., colligit primos dies aestatis fuisse, cum ver iam aliquamdiu durasset (att. Kal. p. 21ª exeunte; Zeitr. p. 38ª exeunte). At nos cum collocatione vocis εὐθύς nullum sententiae discrimen effici perspexerimus, hunc locum in eis numerabimus, quibus εὐθύς arte cum temporis definitione coniungendum est. Quae quoniam composita est ex illo ἅμα τῷ ἦρι et τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους, consentaneum est adverbium ad totam complexionem pertinere et eandem esse mentem, sive legimus ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς sive εὐθὺς ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους sive ἅμα ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους; quo vero iure Unger vocem εὐθύς censet ad genitivum τοῦ ἐπιγ. θέρους solum pertinere, nullo poterit argumento comprobari. Igitur iudicio non praeoccupato enuntiatum allatum sic intellegemus: Lacedaemonii et Athenienses insequenti anno bellum non gesserunt sed statim una cum vere eius indutias inter se fecerunt, qua ex interpretatione sequitur, quandoquidem locutio illa ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους ita comparata est, ut ver esse partem aestatis credamus, id totum aestati adsignandum esse h. e. aestatem annumque una cum vere coepisse.

Neque minores, si ab Ungero argutiis de usu vocis εὐθύς

propositis temperamus, repugnantiae omnibus ceteris locis apparent, quibus una cum ineunte aestate principii veris fit mentio. Atque cum V 40 legamus ἅμα δὲ τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους οἱ Ἀργεῖοι ὡς . . ., ἔδειαν μὴ μονωθῶσι κτέ, vir i. d. praecipit (att. Kal. pp. 33 et 34) εὐθύς esse referendum ad antecedens ἅμα τῷ ἦρι*) atque statuit aestatem multo ante ver incepisse. At supra didicimus illud ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους idem sibi velle, quod ἅμα τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγ. θέρους εὐθύς vel εὐθὺς ἅμα τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγ. θέρους, unde efficitur una cum vere fuisse aestatem: et cum vis notionis εὐθύς quippe ad totam verborum complexionem ἅμα τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους pertinens etiam genitivum τοῦ ἐπιγ. θέρους attingat, ut maturrimo quoque anni tempore rem esse gestam credamus, consentaneum est ab eodem aequinoctii die quo ver etiam aestatem incohatam esse. Id quod quam maxime eo comprobatur, quod V 39, 3 tempus proximum ver praecedens hiemi adscriptum est: ἐποιήσαντο τὴν ξυμμαχίαν τοῦ χειμῶνος τελευτῶντος ἤδη καὶ πρὸς ἔαρ καὶ τὸ Πάνακτον εὐθὺς καθῃρεῖτο. καὶ ἑνδέκατον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα, quae tamen societas, si vere aestas iam quarto die m. Martii (att. Kal. p. 34) esse coepisset, intra huius spatium commemorari debebat.

Neque magis quadrat illa epocha l. VI. c. 94°, ubi cum legamus ἅμα δὲ τῷ ἦρι εὐθὺς ἀρχομένῳ τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους οἱ Ἀθηναῖοι .... παρέπλευσαν ἐπὶ Μεγάρων, Unger decernit aestatem ante ver esse exordiendam, a die vicesimo sexto m. Februarii**). Atqui l. VI. c. 74° exeunte praetores Atheniensium in Sicilia commorantes narrantur Athenas misisse nuntios, qui iuberent pecuniam novam et equites transportandos esse, ὅπως ἅμα τῷ ἦρι παραγένωνται; volebant enim inde a vere ineunte bellum alacrius gerere et Syracusas ipsas obsidione opprimere (VI 88, 6 ὡς ἅμα τῷ ἦρι ἐξόμενοι τοῦ πολέμου. VI 71, 2 ὡς ἐς τὸ ἔαρ ἐπιχειρήσοντες ταῖς Συρακούσαις). Advenisse illam navem

*) Nam quod (att. Kal. p. 33) legitur „die Partikel εὐθύς gehört, wie ihre Stellung in der Mitte zwischen den zwei Zeitangaben lehrt, bloss zu einer von beiden. Sie zur zweiten zu ziehen, gebietet der Sprachgebrauch des Schriftstellers“, certe errori tribuendum erit et scribendum „Sie zur ersten zu ziehen gebietet der Sprachgebrauch des Schriftstellers.“

**) Cftr. att. Kal. p. 44 sqq.

Athenas et populum scivisse pecuniam et equites traiciendos esse ultimo loco rerum ea hieme gestarum memoratur (VI 93, 4). Ineunte statim vere (VI 94, 1) Athenienses complures in Sicilia expeditiones suscipiunt, quibus effectis Catanam reversi equites auxilio missos inveniunt. Reputantibus nobis, quanti fuerint illa aetate res bellicae Atheniensibus, veri non est dissimile adventum navis populiscitum missionem auxiliorum spatiis non ita longis interiectis alteram rem insecutam esse alteram et quamquam adventum navis et contionem proximis ante veris initium diebus tribuere non licet, quia VI 93, 4 (ἀφίκετο δὲ καὶ ἡ ἐκ τῆς Σικελίας τριήρης τῶν Ἀθηναίων . . καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἀκούσαντες ἐψηφίσαντο τήν τε τροφὴν πέμπειν τῇ στρατιᾷ καὶ τοὺς ἱππέας) abest illud τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος, tamen quoniam advenerunt auxilia compluribus diebus post aequinoctium, ineunte fere mense Aprili, Athenis autem in Siciliam facile decem vel quindecim diebus vehi poterant, praesertim cum nullo impedimento eorum itineri moram esse allatam comperiamus, ea initio mensis Martii esse facta statuendum erit, ut et ipsa, si aestas die vicesimo sexto m. Februarii incepisset, intra hanc essent commemoranda, aut VI 93, 4, si ultimis diebus mensis Februarii ea adscribimus, formula τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος expectanda. Verum si cum Ungero facimus, propter omissam hanc locutionem advenisse illam navem et populi fuisse contionem initio mensis Februarii erit ponendum: advenerunt autem auxilia primis diebus mensis Aprilis, unde Athenienses unum fere mensem et alterius partem dimidiam (alterum enim m. Martii dimidium itineri tribuimus) sibi sumpsisse ad parandam hanc expeditionem colligitur, id quod mihi quidem spatium iusto maius videtur esse. Omnes autem hae difficultates erunt amotae, si intellegemus statim, postquam tempus bellando opportunum advenit, ineunte vere insequentis aestatis Athenienses naves ad Megara direxisse et aestatem una cum vere habuisse initium arbitrabimur.

Denique etiam l. VI. c. 8° (τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα ἦρι οἱ τῶν Ἀθηναίων πρέσβεις ἦκον ἐκ τῆς Σικελίας) propter locos modo illustratos probabile est aestatem et ver una incepisse, quamquam, si cum Ungero statuimus initium iam fuisse a nono die m. Martii (att. Kal. p. 43), tales difficultates, quales IV 117.

V 40. VI 94 moveri demonstravimus, hic comprobari nequeunt. — Itaque tres certe invenimus locos, qui nullo pacto cum epocha incursionis Plataeensis possint conciliari.

Non minus destituimur Ungeri ratione ol. 89 a. 3°, cum finem decimi anni inspicimus (V 20). Pacem enim Nicianam esse iuramentis confirmatam die 24° m. Elaphebolionis, uno fere mense post Ungerianae aestatis initium, ex l. V. c. 19° discimus, attamen non solum haec sed etiam decem minimum dies, quibus res capitibus 20° ad 24^{um} narratae acciderė, antecedenti hiemi sunt adscripti. Ungero sane non magnas affert molestias haec repugnantia: Das Werk des Thukydides, inquit (Zeitr. p. 43), unvollendet wie es auf uns gekommen ist, enthält solcher Widersprüche noch mehr z. B. den grossen, von Ullrich, dessen Beweisgründe von Classen nur theilweise widerlegt sind, aufgedeckten, dass die ersten Bücher bald den ganzen peloponnesischen Krieg, bald nur den archidamischen als Gegenstand voraussetzen, Widersprüche, deren Vorhandensein sich ausreichend daraus erklären, dass der Verfasser mitten in seiner Arbeit gestorben ist. Sunt certe repugnantiae non exiguae quaestionesque difficillimae de Thucydidis opere, sed num ei, qui scriptorem quadraginta vel quinquaginta locis subtilissime et accuratissime rerum tempora constituisse sumit ita, ut vel collocatione singulorum verborum ut illius εὐθύς vel omissione appositioneve ut illius ἀρχομένου definitiones temporum gravissimae velarentur potius quam patefierent, — num eidem Thucydidem neglegentiae insimulare licebit unius loci gratia, ubi vitium additis compluribus temporis indiciis praecipue clarum erat et perspicuum?

At Ungeri epocha vera esse non potest, non solum quod cum quattuor annorum Thucydideorum initiis dissentit, sed etiam quod rationes cc. 20° et 26° l. V. de spatiis et belli Archidamici et totius belli institutae conciliari cum ea nequeunt. Nam cum scriptor alterum δέκα ἔτη καὶ ἡμέρας ὀλίγας παρενεγκούσας, alterum ἑπτὰ καὶ εἴκοσι ἔτη καὶ ἡμέρας ὀλίγας παρενεγκούσας durasse computaverit, ex Ungeri epocha prodeunt decem anni unusque fere mensis (a d. 26° m. Anthesterionis a. 431^{i} ad d. 24^{um} m. Elaphebolionis a. 421^{i}) et viginti septem anni unus mensis alteriusque dimidia pars (a d. 26° m. Anthesterionis

a. 431[i] ad d. 15[um] m. Munichionis a. 404[i]), quarum differentiarum utraque maior est quam quae ὀλίγων ἡμερῶν esse dici possit. Difficilior sane haec quaestio est, quia de l. V. c. 20° ambigitur, unde scriptor computationem instituerit; nam terminum illic legimus hunc αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου ἐγένετο, qui a sententia scriptoris de belli principio praecipue l. II. c. 2° prolata quam maxime abhorret. Prorsus Ungero*) assentior, quod respuit Boeckhii (cftr. Gesch. d. Mondcyclen p. 77) et Boehmii (cftr. adnot. ad V 20) artificia, quibus, quamquam manifesto incursio in Atticam facta initium belli declaratur, tamen commemorationem irruptionis Plataeensis illaturi sunt; neque magis Classenio est adstipulandum ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο arte coniungenda esse praecipienti, ut ἡ ἀρχὴ τ. πολ. τ. ἐγ. referri censeamus ad incursionem Plataeensem, invasionem autem in Atticam factam, quod summi sit momenti, priore loco poni. Verum quo iure Unger athetesin verborum ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ tamquam nimis commodam reppulerit, mox videbimus; ipsi enim ea opus sunt ad amoliendam difficultatem ex illa computatione rationi suae allatam. Nam scriptorem et hoc loco et l. V. c. 26° consulto de epocha sua decessisse statuit, quia eius interfuisset totius belli spatium prodire viginti septem annos non duodetriginta, Archidamici decem non undecim; cur autem numerum viginti septem annorum evadere voluerit, Thucydidem ipsum detegere, cum referat omnium vaticiniorum nullum evenisse nisi quo bellum esse duraturum ter novem annos praedictum erat: nam quamquam non ita deditus sit superstitioni, tamen potentiam quandam numinum eum agnoscere. Potuisse autem numerum viginti septem annorum non accipi, nisi et initium et finis belli aliter ac ceteris locis essent determinata, itaque scriptorem, cum hoc bellum esse Atheniensium et Lacedaemoniorum atque utrorumque sociorum soleret praecipere ob eamque causam a die Plataeensi ad expugnatam Samum computare deberet, qua ratione viginti septem anni et octavi dimidium efficienda erant,

---

*) Cftr. Zeitr. p. 42 sqq.

quod spatium Xenophon exhibet, hoc tamen loco bellum angustioribus ut ita dicam finibus circumscriptum intellexisse quippe Atheniensium condicionem solam respicientem itaque finitum expugnatis Athenis statuisse, inceptum Oenoae oppugnatione, qua Attica ipsa invadi coepta sit*). At nullo loco Thucydides censere se bellum Peloponnesiacum esse confectum Samo expugnata testatur: immo quod l. V. c. 26° se descriptionem perducturum esse ad moenia longa et Piraeum a Peloponnesiis occupata profitetur, expugnatas Athenas sese pro exitu habuisse luculentissime testatur, quoniam, si et angustiorem et ampliorem de belli terminis opinionem animo finxisset, illam fortasse propter oracula secutus esset in subducendis rationibus, sed cur opus ipsum ad verum finem perducere noluerit, non perspicitur. Quocum concinit et expugnatas Athenas finem totius belli ex omnium opinione fuisse comprobat Plutarchus, qui quidem non de moenibus et Piraeo Lysandro traditis sed de iisdem paulo post dirutis in vitae Lysandri c. XV. haec scribit: ὁ δ' οὖν Λύσανδρος ἐνδόντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς ἅπαντα πολλὰς μὲν ἐξ ἄστεος μεταπεμψάμενος αὐλητρίδας, πάσας δὲ ἐν τῷ στρατοπέδῳ συναγαγὼν τὰ τείχη κατέσκαπτε καὶ τὰς τριήρεις περιέφλεγε πρὸς τὸν αὐλόν, ἐστεφανωμένων καὶ παιζόντων ἅμα τῶν ξυμμάχων ὡς ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἄρχουσαν τῆς ἐλευθερίας. Porro ex verbis ἐστεφανωμένων καὶ παιζόντων τῶν ξυμμάχων liquet expugnatis Athenis non solum inter Athenienses et Lacedaemonios sed etiam inter socios bellum esse compositum omnes tum existumasse. Neque se aliter sensisse Thucydides ipse denotat, quod l. V. c. 26° ineunte disertis verbis sociorum inicit mentionem μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι; neque haerendum est, quod Atheniensium socii non item afferuntur atque Lacedaemoniorum, quia, quo tempore Atheniensium imperium dissolvebatur, nulli iam fere socii eis supererant. Igitur cum nusquam Athenas expugnatas belli exitum non esse habitas viderimus, concidit illud argumentum, ex quo Thucydidem de fine belli sibi ipsi non constitisse censeamus. Omnino autem credi nequit Thucydidem, quem non

*) Cftr. Zeitr. p. 43—45.

ita devotum fuisse superstitioni Unger ipse concedit*), vaticinio tantum auctoritatis dedisse, ut in re summa, in diiudicandis belli terminis, eius gratia secum ipse pugnaret; immo hoc scriptore nil dignum, nisi ut vaticinium illud, quia fortuito cum rationibus institutis convenerat, memoria eum dignatum esse putemus. Sed ut hanc inconstantiam largiamur, difficultas Ungero non amovetur, quod l. V. c. 20[i] illud ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικήν non licet de Oenoae obsessione intellegi. Nam scriptor l. II. c. 19° disertis verbis declarat se primam incursionem in Atticam factam non Oenoae obsessione coeptam esse existimare, sed quadraginta fere diebus post, octoginta post Plataeas occupatas: ἐπειδὴ μέντοι προcβαλόντεc τῇ Οἰνόῃ καὶ πᾶcαν ἰδέαν πειράcαντεc οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν οἵ τε Ἀθηναῖοι οὐδὲν ἐπεκηρυκεύοντο, οὕτω δὴ ὁρμήcαντεc ἀπ' αὐτῆc μετὰ τὰ ἐν Πλαταιᾳ [τῶν Θηβαίων ἐcελθόντων] γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκοcτῇ μάλιcτα, τοῦ θέρουc καὶ τοῦ cίτου ἀκμάζοντοc ἐcέβαλον ἐc τὴν Ἀττικήν. Hinc, a l. II. c. 19°, non a c. 18° seriem incursionum in Atticam factarum a Thucydide computari comprobatur primum illo οὕτω δή, quo praemissis minoribus rebus iam summum narrari eventum nusquam non indicatur, comprobatur deinde cumulatione temporis definitionum (ἡμέρᾳ ὀγδοηκοcτῇ, τοῦ θέρουc καὶ τοῦ cίτου ἀκμάζοντοc), qua scriptor uti solet, cum animos legentium ad graviores res attendere vult (conferantur I 87, 6. II 2. V 20. 25). Ea autem incursio cum vicesimo fere die m. Thargelionis acciderit (octogesimo die post primum d. m. Elaphebolionis), efficiuntur viginti sex anni decem menses viginti quinque fere dies, quae unius mensis et quinque fere dierum differentia et ipsa maior est, quam quae ὀλίγων ἡμερῶν esse declaretur.

Neque magis ferri potest discessus de solita epocha l. V. c. 20° ab Ungero eo excusatus**), quod finem faciat l. a. scriptor belli Archidamici satis habens Atheniensium et Lacedaemoniorum contentiones pace Niciana esse compositas neque curans, quod potentissimi sociorum Peloponnesiorum, Boeoti

*) Cftr. Zeitr. p. 44: Denn so kühl sich Thucydides auch im Allgemeinen zu dem Wunderglauben vieler Zeitgenossen verhält, so will er doch etc.

**) Cftr. Zeitr. p. 45.

Corinthii Megarenses Elei, pacem respuerint. Mea autem sententia Thucydides suo iure pace Niciana primum bellum confectum esse arbitratus est; nam ineunte l. V. c. 18° diserte traditur: cπονδὰc ἐποιήcαντο οἱ Ἀθηναῖοι καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι. Ergo in conventu Peloponnesiorum cum plures pacem esse sanciendam decrevissent, bellum erat finitum; quod autem socii nonnulli Lacedaemoniorum eam repudiant, non tam Atheniensibus inferunt iniuriam quam decretum neglegunt, quo praeceptum erat, ut quod pluribus sociorum Peloponnesiorum placuisset, omnes teneret (V 30, 1): itaque Lacedaemoniorum solorum et sociorum pacem probantium erat, ut civitates immodestas aliquo modo legi illi obtemperare cogerent, neque vero pax propter contumaciam earum erat irrita. Itaque ne hoc quidem loco demonstratur nunc ampliore sententia de finibus belli nunc angustiore scriptorem esse usum, neque hic ulla perspicitur causa, qua talis inconstantia probetur, cum l. V. c. 26° tamen aliqua species veri propter commemoratum oraculum apparuerit. Quibus autem artificiis Unger sit usus, ut sibi liceret suam rationem statuere, dilucide cognoscimus, cum, quo modo l. V. c. 20^{um} cum l. V. c. 26° coniunxerit, consideramus. Etenim cum l. V. c. 20° causa decedendi de solita epocha nulla sit, in auxilium vocatur l. V. c. 26^{um}, ubi talis causa investigari potest; cum vero c. 26° terminus, a quo tempora computemus, non sit appositus, ex c. 20° ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικήν repetitur; haec autem verba sic intelleguntur, ut repugnantia evadat cum ipsius scriptoris testimonio (II 19). Ea igitur repugnantia, quae oritur ex Ungeri epocha cum computationibus spatiorum et Archidamici et totius belli composita, sic amovetur, ut scriptori duo alia vitia imputentur, quae fortasse multo minus tolerabilia sunt: nam et parum constitisse sibi arguitur in definiendis belli terminis et eius initium inde ab Oenoe oppugnata computasse, quam rem nemo unquam scriptor pro principio habuit.

At cum l. V. 20° ἢ ὡc τὸ πρῶτον ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικήν de invasione Peloponnesiorum octogesimo die post captam Plataeam suscepta interpretabimur, id quod necesse est, inde a vicesimo fere d. m. Thargelionis anni 431^{i} ad vicesimum quartum d. m. Elaphebolionis a. 421^{i} non decem

ipsi anni cum differentia paucorum dierum sed novem anni et decem menses nascuntur, neque si cum Boeckhio utrumque diem ex solis cursu constituimus, hic scrupulus tollitur; itaque toto pectore E. H. O. Muellero assentior, qui primus verba ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικὴν καί interpolamentum ad ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε adscriptum et falso textui insertum duxit, praeter difficultates expositas commotus potissimum, quod, sicuti recte Stahlius adnotat (in retractata Popponis editione minore), τὸ πρῶτον ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικήν ita dictum est, quasi una haec in Atticam facta sit incursio, cum tamen eiectis his verbis τὸ πρῶτον aptissime cum ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου coniungatur eadem ratione, qua non semel apud Thucydidem legimus τὸ πρῶτον ἤρχετο (I 103, 4. II 36, 1. 47, 3. 53, 1. 68, 2. III 86, 2), et valde miror, qui fiat, ut quisquam stultitiam illius locutionis ὡc τὸ πρῶτον ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικήν neglegat, cum tamen verbis τὸ πρῶτον et ἡ ἀρχὴ ἐγένετο imprudenter disiunctis interpolatorem paene ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ teneamus.

Quae de hiemis Thucydideae initio Unger disputavit, eorum quanquam nonnulla mihi non videntur probanda, tamen de summa re consentio hiemem incipere inde ab aequinoctio auctumnali; pertinet igitur aestas Ungeri a die vicesimo sexto mensis Elaphebolionis ad aequinoctium auctumni. Suo autem iure et Volquardsenus et Schoenius offensi sunt, quod hi termini ratione tam diversa definiti sunt, sed talem differentiam vere fuisse Ungero inde patet, quod cum initiis aestatum saepius adnotationes, quales sunt περὶ τὸ ἔαρ, ἅμα τῷ ἦρι, πρὶν τὸν cῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι, περὶ cίτου ἐκβολήν similesque ad annum solarem spectantes conectuntur, cum hiemum principiis non item, quippe quae ipsa ex solis cursu definita sint (Zeitr. p. 70 et 71). At una cum ineunte aestate etiam veris saepius fit mentio, quod ad tempus illius magis illustrandum multum valet hoc commemoratum: nam aestatis notio cum a scriptore ipso ficta esset, aliquo modo debebat declarari, id quod veris et ipsius circa aestatis initium incipientis mentione optime efficiebatur; neque vero idem fieri poterat ineunte hieme, quia ab aequinoctio auctumnali non item tempestas ulla incipiebat, sed id interpositum erat inter initium φθινοπώρου (d. 16^{um} m. Septembris) et principium hiemis communis (d. 10^{um} m. Novem-

bris). Sed pariter, atque aestatis initium vere commemorato illustratur, tempus hiemis designatur mentione φθινοπώρου saepius brevi ante iniecta: ergo in denotandis utriusque principiis nulla extat diversitas. — Est autem profecto veri dissimillimum scriptorem, cum initium hiemis certo et immutabili diei tribueret, aestatem et annum a termino incerto et intra spatium triginta dierum mutabili voluisse incipere, cum tamen aut aestatis annique epocham certo diei adscribi expectemus aut, si haec esset mutabilis, hiemis principium ex ea constitui, quia is terminus minoris est momenti. Negat Unger hoc factum esse, ne utroque spatio ex calendario definito in annis intercalaribus aestati seni hiemi septeni essent menses, id quod cum V 20 ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος pugnaret: at secundum rationem ab ipso institutam discrepantiae multo maiores oriuntur, quae quantae sint ex tabula hiemum et aestatum Ungerianarum infra proposita satis liquet. Atque rationes sic computavi, ut semper a quarto ante finem m. Anthesterionis die praecessisse primo diei m. Hecatombaeonis insequentis cuiusque anni 122 dies (Scirophorionis 30, Thargelionis 29, Munichionis 30, Elaphebolionis 29, Anthesterionis 4) ponerem; his autem 122 diebus addidi numerum dierum inter primum d. m. Hecatombaeonis ex nostro calendario constitutum et d. 26^{um} m. Septembris intercedentium; numerum dierum aestatis sic inventum si dempseris numero dierum uniuscuiusque anni, accipies numerum dierum hiemis; in rationibus computandis adhibui fastos ab Ungero in dissertatione „der attische Kalender“ compositos.

belli annus		numerus dierum anni	numerus dierum aestatis	numerus dierum hiemis	differentia inter aestatem et hiemem intercedens
I.	ab ol. 87, 1 ad ol. 87, 2	354	177	177	
	ol. 87, 2 : 1 d. m. Hecat. = 2 d. m. Augusti				
II.	ab ol. 87, 2 ad ol. 87, 3	384	188	196	8
	ol. 87, 3 : 1 d. m. Hec. = 22 d. m. Julii				
III.	ab ol. 87, 3 ad ol. 87, 4	354	170	184	14
	ol. 87, 4 : 1 d. m. Hec. = 9 d. m. Augusti				
IV.	ab ol. 87, 4 ad ol. 88, 1	355	180	175	5
	ol. 88, 1 : 1 d. m. Hec. = 29 d. m. Julii				

belli annus		numerus dierum anni	numerus dierum aestatis	numerus dierum hiemis	differentia inter aestatem et hiemem intercedens
V.	ab ol. 88, 1 ad ol. 88, 2 ol. 88, 2 : 1 d. m. Hec. = 19 d. m. Julii	384	191	193	2
VI.	ab ol. 88, 2 ad ol. 88, 3 ol. 88, 3 : 1 d. m. Hec. = 7 d. m. Augusti	355	171	184	13
VII.	ab ol. 88, 3 ad ol. 88, 4 ol. 88, 4 : 1 d. m. Hec. = 27 d. m. Julii	354	182	172	10
VIII.	ab ol. 88, 4 ad ol. 89, 1 ol. 89, 1 : 1 d. m. Hec. = 16 d. m. Julii	384	194	190	4
IX.	ab ol. 89, 1 ad ol. 89, 2 ol. 89, 2 : 1 d. m. Hec. = 4 d. m. Augusti	355	175	180	5
X.	ab ol. 89, 2 ad ol. 89, 3 ol. 89, 3 : 1 d. m. Hec. = 25 d. m. Julii	355	185	170	15
XI.	ab ol. 89, 3 ad ol. 89, 4 ol. 89, 4 : 1 d. m. Hec. = 14 d. m. Julii	355	196	159	37
XII.	ab ol. 89, 4 ad ol. 90, 1 ol. 90, 1 : 1 d. m. Hec. = 4 d. m. Julii	384	206	178	28
XIII.	ab ol. 90, 1 ad ol. 90, 2 ol. 90, 2 : 1 d. m. Hec. = 23 d. m. Julii	354	187	167	20
XIV.	ab ol. 90, 2 ad ol. 90, 3 ol. 90, 3 : 1 d. m. Hec. = 12 d. m. Julii	355	198	157	41
XV.	ab ol. 90, 3 ad ol. 90, 4 ol. 90, 4 : 1 d. m. Hec. = 1 d. m. Julii	384	209	175	34
XVI.	ab ol. 90, 4 ad ol. 91, 1 ol. 91, 1 : 1 d. m. Hec. = 20 d. m. Julii	354	190	164	26
XVII.	ab ol. 91, 1 ad ol. 91, 2 ol. 91, 2 : 1 d. m. Hec. = 9 d. m. Julii	354	201	153	48
XVIII.	ab ol. 91, 2 ad ol. 91, 3 ol. 91, 3 : 1 d. m. Hec. = 28 d. m. Junii	384	212	172	40
XIX.	ab ol. 91, 3 ad ol. 91, 4 ol. 91, 4 : 1 d. m. Hec. = 16 d. m. Julii	355	194	161	33
XX.	ab ol. 91, 4 ad ol. 92, 1 ol. 92, 1 : 1 d. m. Hec. = 6 d. m. Julii	384	204	180	24.

Luce clarius perspicitur, quam non prodeant ex Ungeri ratione aestates et hiemes paris spatii, quoniam annis XIV. XVII. XVIII. aestas hiemem plus quadraginta diebus superat, annis XI. XV. XIX. plus triginta diebus, annis XII. XIII. XVI. XX. plus viginti diebus. Nequaquam autem scriptor, talem si distributionem temporum instituisset, secundum quam ex viginti annis unus solus aestatem et hiemem prorsus pares haberet, ex posterioribus decem annis sex aestatem plus triginta diebus

longiorem hieme, l. V. c. 20° scribere poterat: εὑρήσει ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου (scil. καὶ τοῦ θέρους καὶ τοῦ χειμῶνος) τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, δέκα μὲν θέρη, ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους.

Huc accedit denique illud argumentum: Thucydides si annos aestatesque inde a 26° die m. Elaphebolionis instituisset, debebat certe l. II. c. 2° terminum initii dilucidius indicare. Nam cum Unger ipse eum sic indagaverit, ut omnes exeuntis m. Elaphebolionis dies expertus inveniret nullum quadrare nisi quartum ante finem eius (cftr. att. Kal. p. 10), quo modo poterunt lectores minore quam Unger acumine praediti eum enucleare? Diligentis certe scriptoris erat, ut initia aestatum quam facillime perspicienda faceret, quippe qua ex re definitio accurata rerum initiis annorum gestarum penderet. Arti igitur scriptoris, si Ungeri epocham amplectimur, vitio ducendum est, quod diem initiorum aestatum ratione tam artificiosa et incerta determinavit nec tamen usquam eam perspicue exposuit.

Vidimus igitur Ungeri rationem ferri non posse his de causis: primum, cum ex l. V. 20° et c. 26° nullum liceat indicium de initiis singulorum annorum elicere, neque testimonium adest neque magis argumenta, propter quae diem incursionis in Plataeas factae epocham annorum aestatumque statuamus (p. 9—11); deinde ex neutro locorum, quibus Unger ipsis scriptoris verbis indicari credidit aestatem post ver incepisse, id vere colligi potest, ut etiamsi aestates ante ver incipientes certe inveniuntur, tamen quod aestates post id incipientes monstrari nequeunt, summa oriatur dubitatio, num Thucydides epocham aestatum ex calendario Attico definiverit (p. 11—14); porro nullo pacto cum epocha diei Plataeensis componi possunt quattuor loci sano iudicio intellecti (p. 14—20); tum dissentit ea a scriptoris computationibus de spatiis Archidamici et totius belli l. V. cc. 20° et 26° institutis (p. 20—25); adde quod repugnat testimonio scriptoris (V 20), ex quo aestatem et hiemem pares anni fecit partes (p. 25—28); denique valde est suspecta, quod nusquam scriptor dilucide lectores edocuit singulos annos ab impressionis in Plataeas susceptae die ex calendario Attico constituto incipere.

Caput alterum.

§. 1. De aestate Thucydidea.

Thucydides ut ipse l. II. c. 1°, l. V. cc. 20° et 26° se res gestas per aestates et hiemes narraturum esse profitetur, ita formulis τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους et τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος aperte uniuscuiusque anni binae partes dividuntur. Apparet autem has notiones a scriptore de communi usu deflexas esse et singulari modo usurpatas itaque necesse est ad rerum tempus definiendum. initia utriusque explorentur. Atque aestatis principium fuisse circa aequinoctium vernale recte computavit Unger ex l. VIII. c. 61°. Nam classis Peloponnesiorum cum περὶ ἡλίου τροπάς, circa finem mensis Decembris, (VIII 39) ancoras solvisset et complures dies prope oram Cariae versata esset, Rhodum pervenit ibique octoginta dies commorata est (VIII 44), unde cum frustra Chiis magnopere vexatis auxilio venire conati essent (VIII 60), partim Samum partim Rhodum vehuntur; atque nunc demum invenimus illud τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα τῷ ἦρι. Primum igitur discimus Thucydidem, cum antiqui tria omnino initia veris haberent, aut ab ortu vespertino Arcturi (d. 23° m. Februarii) aut ab oriente Zephyro (circa 8^{um} d. m. Februarii) aut ab aequinoctio vernali (die 26° m. Martii), hoc unum cognovisse principium, tum aestatem quoque circa aequinoctium incepisse. Atque cum inspicimus, quae ceteris duodeviginti lócis, quibus locutione τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους iniens aestas significatur, ratio inter aestatis et veris principia intercedat, tres classes erunt distinguendae: primum II 71. III 1. 26. 89. IV 1. V 1. 24. 57. 82. 84 invenitur quidem illud τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους sed constat res narrari media demum aut non ineunte aestate gestas, ut certius quicquam de eius initio investigari non possit; tum II 47, 2. IV 52. V 52. VII 19*) VIII 7**) res ineunte aestate gestas referri elucet, quia praeter formulam illam additum est εὐθύς vel ἄρχεσθαι verbum, neque vero ineuntis veris fit mentio; denique

---

*) Hoc enim loco cum Ungero scribendum esse τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἀρχομένου mox exponam.

**) Codicis Vaticani additamento ἅμα τῷ ἦρι extruso cum Ungero lego τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς.

IV 117. V 40. VI 8. 94 cum aestatis prima commemoratione etiam veris mentio coniungitur, quorum locorum tres (IV 117. V 40. VI 94) ita comparatos esse supra vidimus (pp. 14—20), ut magnae moveantur difficultates, nisi aestatem et ver uno die incepisse ponimus, quartum autem (VI 8) non adversari huic sententiae. Igitur quod VIII 61 propter spatium nonaginta fere dierum inter brumam et θέρους initium interiectum aestatem ab aequinoctio vernali probabiliter exordiendam esse cognovimus, idem confirmatur exemplis tertiae classis neque obstant decem loci primae classis; verisimillima autem haec opinio fit, cum reputamus scriptorem ob eam ipsam causam, quod voces θέρος et χειμών non proprio usurpabat sensu sed ficto, id studere debuisse, ut terminos constitueret quam facillime perspiciendos; nam si artificiosâ ratione eos definivisset, legentes de rebus ineunte aliqua aestate gestis reddidisset dubios neque facile assecutus esset id consilium, quo commotus omnino narrationem κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας disposuit, ut videlicet singularum rerum tempora accuratius designari possent, quam si eas e nominibus archontum enumerasset (V 20). Simplicissima autem ratio atque ad omnes dubitationes prohibendas maxime idonea ea certe erat, ut ver et aestas ab eodem die inciperent, id quod cum quinque locis paene necessario statuendum sit, decem autem loci non repudient, meo quidem iudicio fere cogimur, inde ab aequinoctio vernali et annum et aestatem et ver facere ineuntia. Restant sane quinque illi loci, ubi res ineunte statim aestate gestae referuntur nec tamen ver commemoratur, quos ut cum ratione nunc proposita conciliemus, haec praemonenda sunt. Scriptor cum de rebus per anni tempestates digerendis deliberaturus et annorum aestates hiemesque secreturus esset, haud dubie reputavit bellum geri solitum esse inde a vere ad auctumnum, requievisse per alteram anni partem et quamquam haec illa expeditio suscepta sit vel iniquissimis hiemis temporibus (nostris mensibus Ianuario, Februario, priore parte Martii), tamen inde a reverso vere novo ut ita dicam vigore conflatum esse; potuit igitur inde a nova aestate et novo anno novam quasi periodum belli instituere, id quod ad narrationem perficiendam non parvi erat momenti, quia orbes quidam rerum cohaerentium interpositis illis formulis singulas

et aestates et hiemes concludentibus et incipientibus diligenter distinguebantur. Sed iam ad illos locos ipsos accedamus excutiendos!

IV 51 et 52 cum haec narrentur: καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ ἕβδομον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε τῷ δε .... τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς τοῦ τε ἡλίου ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ νουμηνίαν καὶ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔκειτε, haec autem solis defectio die vicesimo primo m. Martii acciderit, iam E. H. O. Mueller et Unger recte collegerunt aestatis initium illo anno praecessisse aequinoctium vernale (diem 26^{um} m. Martii), qua tamen repugnantia ratio supra exposita non evertitur. Nam cum exeunte hieme antecedenti nullae res essent gestae — Chii enim media fere hieme moenia diruerunt, quoniam abest formula τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος (IV 51) —, bellum renovatur expeditione exulum Lesbiorum circa veris initium suscepta, quo eodem tempore et sol defecit et terrae motus facti sunt. Quorum eventuum prior haud dubie ante aequinoctium ponendus est, terrae autem motus, praeterquam quod pluribus deinceps diebus fieri solent, ut vix certis diebus tribui potuerint, facile iam post aequinoctium contigerunt, quoniam legimus τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔκειτε, ille autem mensis increscebat (ἵστατο) a die 21° m. Martii ad diem 31^{um}; itaque scriptor, si summa diligentia uti voluisset, alterum hiemi alterum aestati adscribere debebat, sed nolebat ea disiungere, quia hominum est, ut res tam insolentes, quamvis non cohaereant, superstitione quadam inter se coniungant; ac forte ne potuit quidem subtiliter discernere, quandoquidem verba τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔκειτε etiam sic intellegi licet, ut et proximis ante aequinoctium diebus et post id terrae motus fuisse statuamus. Quod si statuimus, sive hiemi motus tribuebat sive aestati, plane diligens esse scriptor nequibat, nisi forte quis tam minutam diligentiam in eo infuisse vult, ut idem bis referret. Atque fines aestatis latius propagavit, quod eisdem diebus expeditio exulum Lesbiacorum accidit, id quod apparet ex arta qua has res scriptor conectit coniunctione τοῦ τε ἡλίου ἐκλιπές τι ἐγένετο .... καὶ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἔκειτε ... καὶ οἱ Μυτιληναίων φυγάδες ... ὁρμώμενοι ... αἱροῦσι. Quae cum quinque maximum diebus ante aequinoctium (nam solis defectio

primo loco tradita et ipsa hoc tantum spatio praecedit aequinoctium) sed forte compluribus diebus post circa ipsum aequinoctium sit suscepta, sine dubio aestati est adscripta, quippe ex qua bellum, quod exeunte praegressa hieme quieverat, redintegratum sit et resuscitatum. Haec autem indiligentia facillime fertur, quoniam, cum de differentia paucissimorum dierum agatur, effectum ea est, ut initium belli consentiat cum initiis et anni et aestatis: quam vero diligens scriptor sit, inde liquet, quod, cum aestatis et veris initia non plane congruant, omittit illud ἅμα ἦρι, nempe quia ver proprio usurpabat sensu, aestatis autem notionem quoniam ipse finxerat, id sibi sumere poterat, ut huius fines aliquantum proferret.

Alterum ubi aestas ante ver incepit locum exploravit Unger, ut tamen lectionem codicibus exhibitam mutaret. Bene enim observavit, quotienscunque nova aestas vel hiems locutionibus τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους vel τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος denotatur, verbum ἐπιγίγνεσθαι nusquam ineunti veri tribui neque omnino aestatem annumque sola veris mentione significari nisi l. VII. c. 19°, ubi legimus τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου ἦρος εὐθὺς ἀρχομένου. Itaque recte videtur iudicasse, quod haec verba corrigenda esse monet in τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἀρχομένου, qua ex coniectura sequitur, ut, quoniam veris initii commemoratio abest, aestatem ante aequinoctium fuisse colligamus. Id quod bene convenit rebus ipsis, quandoquidem ver incepisse c. 20° fertur ἐν δὲ τούτῳ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἅμα Δεκελείας τῷ τειχισμῷ καὶ τοῦ ἦρος ἀρχομένου . . . . ἔστειλαν, postquam c. 19° complures res a Peloponnesiis gestae sunt, quarum partem quidem praecessisse expeditiones c. 20° relatas docent verba ἐν τούτῳ statim a fronte collocata. Comparantibus nobis l. VII. c. 19^{um} τοῦ δ' ἐπιγ. θέρ. εὐθὺς ἀρχ. πρώτατα δὴ οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσέβαλον· ἡγεῖτο δὲ Ἄγις . . . καὶ πρῶτον μὲν τῆς χώρας τὰ περὶ τὸ πεδίον ἐδῄωσαν, ἔπειτα Δεκέλειαν ἐτείχιζον cum capite 20° ἐν δὲ τούτῳ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἅμα τῆς Δεκελείας τῷ τειχισμῷ καὶ τοῦ ἦρος εὐθὺς ἀρχομένου περί τε Πελοπόννησον ναῦς τριάκοντα ἔστειλαν καὶ Χαρικλέα τὸν Ἀπολλοδώρου ἄρχοντα apparet ante aequinoctium Lacedaemonios in Atticam incurrisse et terram vastasse; quod autem legitur ἅμα τῆς Δεκελείας τῷ τειχισμῷ, una cum munitione

Deceleae, videntur Athenienses primis diebus eius naves circa Peloponnesum misisse: quam cum propter artam coniunctionem ἅμα . . . τῷ τειχισμῷ καὶ τοῦ ἦρος εὐθὺς ἀρχομένου circa ipsum aequinoctium esse inceptam probabile sit, nihil ante id erit ponendum nisi populatio terrae illius planae, quae πεδιάς vel μεσόγαια appellatur (VII 19, 1). Qua tamen pauci tantum dies absumi poterant, ut non nimis a vero recedere me putem, cum Peloponnesios decem vel quindecim diebus ante aequinoctium Atticam intrasse statuo: quos cur aestati tribuerit scriptor, videbit quicunque secum reputaverit, quales res inde a l. VII. c. 19° ducant initium. Ac primum quidem item atque loco modo tractato bellum ipsum Peloponnesiorum incursione redintegratum opponitur quieti praegressae hiemis, cuius in historia scriptor nihil memoriae prodidit nisi epistolam Niciae ad Athenienses datam*), animos Peloponnesiorum**) ad restituendum bellum propensissimos, utrosque, et Peloponnesios et Athenienses, belli parandi studiosissimos. Tum vero inde a l. VII. c. 19° incohatur tertia et ultima periodus totius belli, bellum quod dicitur Deceleicum, atque ut Thucydides, ubi ad magna discrimina pervenit narratio, legentes commovet et attendit intermixtis de rerum condicione considerationibus, sic c. 18° de spe Lacedaemoniorum disputavit, ut animis de gravitate rerum iam narrandarum bene paratis ad extremum quasi dramatis actum procedatur. Quam autem consentaneum est scriptorem a novi belli relatione etiam novum annum exordiri et quam turpiter narrationem dissecuisset, si de antecedenti hieme haec fere rettulisset: τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος καὶ πρὸς ἔαρ ἤδη πρώτατα δὴ οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσέβαλον· ἡγεῖτο δὲ Ἄγις . . . καὶ πρῶτον μὲν . . . ἐδήωσαν· ἔπειτα Δεκέλειαν ἐτείχιζον· καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ ὄγδοον καὶ δέκατον ἔτος τῷ πολέμῳ τῷδε ἐτελεύτα ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν et iam sic perrexisset: τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ, ἐν ᾧ ἔτι χρόνῳ τὴν Δεκέλειαν ἐτείχιζον οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἀπέστειλαν οἱ Ἀθηναῖοι! Ipsa illa verborum complexione καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ τὸ δεῖνα ἔτος τῷ πολέμῳ τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψε facile commovemur, ut periodo perfectae finem iam imponi

*) Cftr. VII 10—16.

**) VII 18.

censeamus: quam ob causam scriptor ne decem quidem vel quindecim dierum indiligentiam evitavit, ut narrationem quasi rotundare et cohaerentes res uno tenore tradere liceret.

Tertio quem Unger advocavit loco, utrum aestas ante ver instituenda sit an una cum eo, ambigitur. L. VIII. c. 7° enim codices plurimi in iisque Laurentianus exhibent illam formulam, qua aestas aequinoctium praecedens designatur τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐπειγομένων τῶν Χίων ἀποστεῖλαι τὰς ναῦς .... ἀποπέμπουσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐς Κόρινθον ἄνδρας Σπαρτιάτας τρεῖς κτέ; in Vaticano autem legitur ἅμα δὲ τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους, quam scripturam cum Laurentii Vallae versio Latina „una cum vere insequentis aestatis statim" confirmare videatur, Classenius Stahlius in textum recipere non veriti sunt. At etiamsi haec lectio optime inserviret consilio meo, quandoquidem is locus sextus accederet ad illos, quibus diserte una cum vere principii aestatis mentio est iniecta, tamen eam improbandam esse persuasum habeo, primum quod fides codicis Vaticani omnino summae obnoxia est suspicioni, tum quod ne Vaticanus quidem integram scripturam ἅμα δὲ τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς habet sed corruptelam ἅμα δὲ τῷ ἦρι τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς; in duplicata autem particula δέ indicium manifestissimum interpolationis mihi cernere videor*); denique Vallae interpretationi nulla auctoritas erit tribuenda, quoniam spero fore, ut aliquando comprobem Vallam Thucydidis commentarios in linguam latinam transferentem aut Vaticanum ipsum adhibuisse aut codicem Vaticano plane geminum iisdemque interpolationibus inquinatum in usum suum convertisse: ergo nititur ea lectio scriptura corrupta unius codicis et ipsius suspectae fidei. Ut autem hunc locum expediamus, primum inquirendum erit, quae res ante aequinoctium videantur gestae esse. Ineunte statim aestate Lacedaemonii tresviros Corinthum legant, qui Chiis esse subveniendum iubeant. Agis, cum animos civium suorum rebus Chiorum intentos esse animadvertat, neque ipse aliter sentit et consilium Pelopon-

*) Gaudeo quod Eggertus, cuius dissertatio „de Vaticani codicis Thucydidei auctoritate" mihi ante hos paucos dies in manus incidit, de hoc loco idem quod ego tulit iudicium, quamquam quae de usu vocis εὐθύς sibi videtur observasse (p. 15) nihil valent.

nesiorum convocat: quo decernitur Chiis auxiliandum et viginti naves e sinu Corinthiaco transportandas esse trans Isthmum: id quod cum statim post concilium exsecuti essent (ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ διεκόμισαν εὐθὺς μίαν καὶ εἴκοσι ναῦς 8, 4), iam in eo erat, ut ancorae solverentur, cum Corinthii vela in altum dare recusaverunt propter instantes Isthmiorum dies festos. Celebrata autem sunt illo anno Isthmia altera m. Aprilis parte, inde a decimo quinto fere die (ab octavo die m. Munichionis)*). Consilium Peloponnesiorum et transportatio navium quoniam summo cum studio agebantur, non plus octo vel decem dies absumpserunt, et quandoquidem veri non dissimile est undecim vel tredecim qui ad aequinoctium supersunt diebus socios et convocatos et eorum legatos Corinthum advenisse, praesertim cum omnes spe belli restituendi iam hieme proxima suspensi certe quam ocissime Agidi obsequerentur, efficitur ante aequinoctium nihil fere ponendum esse nisi iter legatorum Sparta Corinthum facile quattuor vel quinque diebus confectum. Eos autem aestati Thucydides adscripsit, quia exinde res novo cum vigore gerebantur. Egerant quidem iam antecedenti hieme Chii et Erythraei cum magistratibus Lacedaemoniorum, qui Spartae aderant, et societas erat inita, quin etiam Lacedaemoniis visum erat statim quadraginta naves mittendas esse, sed ut maxime in rebus maritimis neglegentes segnesque erant, non solum non sunt missae, sed etiam, dum quinque ornant, tempus terunt (VIII 6, 4 et 5). Tum demum, cum ephori intellexissent se classem satis magnam non esse comparaturos et Chiis magis magisque instantibus per legatos auxilium Agidi ferendum mandassent, ea expeditio alacriter instituitur; nam rex ille cum antea Euboeenses et Lesbios ab Atheniensibus defecturos adiuvare maluisset (VIII 5, 1—3), hinc profectionem in Ioniam tanto cum ardore parabat, ut, cum Corinthii propter Isthmia ancoras solvere nollent, solus traicere cuperet. Itaque cum ex legatione trium virorum res illa aestate gestae pendeant, quippe qua auxilium, quod ante magistratus maxima cum segnitie egerant, tanquam ad aliud forum sit delatum, non mirabimur eam a scriptore

---

*) Cfr. Unger, Der Isthmientag und die Hyakinthien, Philologus 37, pp. 33—42.

aestati esse adsumptam, praesertim quod haec quoque indiligentia, ut supra ostendimus, paucorum est dierum.

Duobus praeterea locis reperitur illud τοῦ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου neque una ver initium habuisse traditur: quibus quamquam ex rerum conexu demonstrari nequit eventus narratos ante aequinoctium accidisse, tamen propter locos modo in disceptationem vocatos colligendum erit ob omissa verba ἅμα ἦρι expeditiones illas ante veris initium esse susceptas. Atque l. II. c. 47. p. 2ª τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι τὰ δύο μέρη ὥσπερ καὶ τὸ πρῶτον ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικὴν κτέ incipit secundus belli annus ab incursione altera Peloponnesiorum, postquam antecedentis hiemis priore parte Corinthii in Acarnania rem non prospere gesserunt (II 33), dein funera publica Athenis sunt celebrata (II 34—46), tum vero bellum esse plane desiit; factam autem impressionem eam esse paucissimis ante aequinoctium diebus inde efficere licet, quod neque appositum est tale quid quale πρὶν τοῦ ἔτους et illam invasionem, quae πρωτάτη fuisse dicitur (VII 19), quindecim dumtaxat diebus ante veris initium esse ponendam supra*) comprobavimus. — Minus facile l. V. c. 52° τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἀρχομένου τὴν Ἡράκλειαν, ὡς μετὰ τὴν μάχην κακῶς ἐφθείρετο, Βοιωτοὶ παρέλαβον conexus cum rebus aestate gestis perspicitur, quod scriptor omnino in altera parte libri quinti, inde a c. 26°, valde tenui et concisa narratione utitur. Sed etiamsi praegressa hieme aliam rem ad Heracleam pertinentem memoriae prodidit, quam tamen non exeunte hieme fuisse omissum illud τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος docet, noluit etiam occupationem eidem adscribere, quia probabile est eam paucis ante veris initium diebus sic institutam esse, ut Boeoti cum Heracleotis de tradenda urbe agerent, et cum magistratus Lacedaemoniorum, qui illic aderant, certe vehementer abnuerent, primis diebus demum post aequinoctium ipsam urbem receptam esse.

Quoniam vidimus quinque hos locos, ubi aestates ante ver inceperunt, ex scriptoris studio res cohaerentes uno tenore narrandi satis explanari, restat, ut illum locum expediamus,

---

*) Cftr. p. 33.

quo haud dubie aestas multo post ver esse coepit. Nam cum e l. V. c. 19° pacem Nicianam die 24° m. Elaphebolionis esse factam comperiamus, is autem secundum Boeckhii rationes (Mondcyclen p. 80) cum die 11° m. Aprilis a. 421^{i} congruat atque initium proximae aestatis l. V. c. 24° demum commemoretur, postquam decem minimum dies rebus cc. 21° ad 24^{um} narratis absumpti accesserunt, aestas viginti quinque fere diebus post d. 26^{um} m. Martii habuit initium. Expeditur autem ea difficultas, cum accuratius inspicimus, quem locum caput vicesimum l. V. obtineat, quo consilio scriptum esse videatur: qua in re erit memoria tenendum Ullrici et illorum qui eum secuti sunt opera esse exploratum Thucydidem brevi post a. 421^{um} historiam belli Archidamici consignasse (nam quibus causis adducar, ut Ullrici coniecturam veram esse existimem, quamquam ab Herbstio nuper et Kielio acerrime impugnata est, excursu infra adiecto*) exponam). Atque Ullricus quidem censuerat Thucydidem, cum bellum Siciliense exardesceret, medio fere in libro quarto conscribendo fuisse occupatum et ut novas illas res spectare liceret, prius opus tum imperfectum reliquisse, perfecisse id post a. 404^{um}; postea vero extitere, qui verisimilius esse putarent scriptorem, si anno 415° historiam belli Archidamici nondum confecisset, non prius ad parandam novorum bellorum descriptionem fuisse aggressurum, quam descriptionem prioris belli absolvisset. Ut autem haec sententia non eo evertitur, quod nulli loci e libris quarto et ineunte quinto proferuntur, qui Thucydidem belli solius Archidamici esse gnarum testentur, quandoquidem ne e primo quidem libro, cuius magna certe pars una cum libris altero et tertio conscripta est, meo iudicio talis locus investigari poterit, sic continuatum esse prius de bello Archidamico opus perfectum adiuncta nova parte comprobat ratio illa dissoluta, qua l. V. capitibus 20° ad 24^{um} proceditur ad pacem dubiam adumbrandam.

Quicunque enim caput vicesimum libri quinti leget, is certe sentiet nunc esse absolutam historiam belli decem annorum; nam ineunte capite multae illae definitiones temporis

*) Cftr. p. 91.

τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος, ἅμα ἦρι, ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν occurrunt, quali cumulatione Thucydidem uti supra monui, cum indicaturus sit lectorem pervenisse ad magnum et grave tempus; tum accurata illa computatio spatii inter diem initii belli et huius pacis interiecti, illa disceptatio de ratione res per aestates hiemesque disponendi, illa altera computatio, qua decem hiemes et decem aestates prodeunt, omnia haec in legentium animis opinionem excitant, ut scriptorem finiturum esse opus arbitrentur, cum accedit narratio de foedere inter Lacedaemonios et Athenienses sancito, qua absoluta exeunte l. V. c. 24° iterum concluditur verbis hisce: ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται, quae eadem fere iam V 20 invenimus: εὑρήσει ... δέκα μὲν θέρη ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους. Iam si quaerimus, num quae capp. 21° ad 24^{um} referuntur, cum rebus belli Archidamici cohaereant, equidem assentior Helmboldio, quod censet haec proprie non spectare ad eius historiam. Nam sicuti supra exposui, cum in pacis Nicianae instrumento decretum esset σπονδὰς ἐποιήσαντο Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι κατὰ τάδε, iure quidem pax inter Athenienses et Lacedaemonios et utrorumque socios erat, quoniam inter Lacedaemonios et Peloponnesios constitutum erat, ut quod pluribus placuisset omnes teneret (V 30, 1). Igitur Athenienses inde omni bello vacabant et Lacedaemoniorum potius erat, ut socios, qui ad id tempus pacem repudiaverant, aut vi commoverent aut alia ratione adducerent ad eam accipiendam. Veluti Boeotis persuadere Lacedaemonios videmus, ut Panactum redderent, ut tandem aliquando Athenienses Pylo decederent; nam id castellum se retenturos esse minati erant, usque dum Lacedaemonii omnes effecissent condiciones, id quod hi non prius poterant, quam socios ad comprobandam pacem adduxerant. Res igitur illis quattuor capitibus narratae multo magis pertinent ad Lacedaemonios et eorum socios quam ad bellum inter Athenienses et Peloponnesios gestum. Debebat autem eas narrare, qui conexum inter bellum Archidamicum et Deceleicum intercedentem demonstraturus erat, quia in pace a sociis Lacedaemoniorum potentissimis repudiata prima tanquam semina novarum discordiarum erant posita: inde enim

potissimum, quod Lacedaemonii condiciones nonnullas propter socios immodestos exsequi nequeunt et ob hanc causam Athenienses et ipsi pacta quaedam neglegunt, primum odium et indignatio suspicioque oriuntur, quae cum maiora fierent in diem, denique ut bellum aperte redintegraretur effecerunt.

Quodsi, et quia capitis vicesimi l. V. indoles ea est, ut operi finem imponere videatur, et quia res insuper bello decem annorum inclusae magis spectant ad bellum Siciliense et Deceleicum quam Archidamicum, huc pertinuisse opus de bello Archidamico probatur, iam illud quoque egregie explanatur, cur scriptor finem hiemis decimae tanto spatio protulerit. Ineunte enim capite vicesimo accuratam rationem instituit scriptor illam a die invasionis in Plataeas factae usque ad diem pacis Nicianae, ex qua decem ipsi anni cum differentia paucorum dierum prodeunt; una autem hoc ultimo capite prioris operis, quandoquidem de metiendis temporibus loqui coepit, occasione oblata utitur, ut suam rationem res per anni tempestates digerendi declaret et meliorem accuratioremque esse ostendat. Atqui si, ut ex consuetudine sua debebat, pacem inseqùenti aestate esse initam memorasset, ilico eam rationem non magis accuratam esse quam rationem pro archontibus res enarrandi facile eluxisset, quoniam a die incursionis Plataeensis ad pacem Nicianam decem ipsi anni κατὰ θέρη autem καὶ χειμῶνας undecim aestates et decem hiemes efficiendae erant. Itaque ut ex utraque ratione decem anni nascantur, quindecim illos dies proprie aestivos hiemi scriptor adiunxit. Haec autem indiligentia in fine operis ne minimam quidem movet offensionem, quoniam nullae res secuturae erant, de quarum tempore scriptor legentes tali inconstantia perturbaturus esset. Neque neglegendum est agi de differentia non multorum dierum, quorum gratia novam aestatem novum annum instituere taedebat scriptorem, quem narrationem quasi rotundare studuisse vidimus, praesertim cum ne expeditiones quidem maioris momenti gererentur intra illud spatium sed, sicut iam antecedenti hieme inceptum erat, de pace agi pergeretur.

Quod autem, quae post pacem usque ad societatem sancitam acciderunt et decem minimum dies absumpserunt, hiemi tributa sunt, equidem bene explicari censeo sic, ut Thucydidem

ea, cum posterius opus ad prius adnecteret, hoc loco collocasse accipiamus, quia duabus pactionibus altera alteram excipiente descriptio pulchre absolvi et pax duplici inter Athenienses et Lacedaemonios icto foedere confirmata videbatur esse, cui opinioni verus rerum status, qualis inde a c. 25° depingitur, eo magis adversatur. Etiam illud agglutinato foedere ad pacem Nicianam assecutus est, ut conclusio prioris operis magis occultaretur neque nimis eluceret. Verum si scriptor operi ultimam admovisset manum, non dubium est, quin hanc partem prorsus aliter instituturus fuerit. Nam cum in descriptione singulorum annorum perrexisset, non iam habebat, cur hiemem illam iusto longiorem redderet, sed pacem Nicianam societatemque in primis undecimae aestatis rebus commemorare poterat, quoniam spatium inde a die Plataeensi usque ad pacem Nicianam idem erat et res ineunte decima hieme actae non tam arte cum undecima aestate conexae erant, ut seiungi nequirent, illam autem de ratione res per anni tempestates disponendi explicationem facile alio loco poni licebat. Quae huius hiemis iusto longioris enucleatio cum sola satis simplex atque probabilis mihi videatur esse, una etiam lucramur argumentum ad corroborandam de bello Archidamico prius conscripto sententiam. Si enim scriptor cognito iam toto bello ad opus conscribendum accessisset et protenus ab initio demonstraturus fuisset tres illas partes unum efficere bellum, ad hoc consilium perpetrandum certe plurimum valebat aequalis et constans enumeratio initiorum aestatum et hiemum neque vero licebat neglecta distributione unam partem ex ordine annorum eximere et quasi sui iuris facere.

Quo modo quoniam vidimus omnes dirimi difficultates, quae, quominus aestatem una cum vere habuisse initium putaremus, obstare videbantur, iam facile enucleabis, cur Thucydides et II 2 et V 20 adhibuerit notionem ἅμα ἦρι de rebus aequinoctium vernale maiore spatio quam quod praepositione ἅμα denotari solet insequentibus. Atque V 20 non dubium est, quin ἅμα ἦρι usurpaverit, quamquam ex aequinoctio quindecim minimum praeterierunt dies, ut legentes et hic et II 2 locutione ἅμα ἦρι reperta decem ipsos annos ratione invenirent; quod autem scriptor etiam κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας de-

cem effici annos volebat itaque ultimae hiemis fines protulerat in aestatis spatium, coactus est illas locutiones τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος et ἅμα τῷ ἦρι, quae nullo alio loco coniunctae inveniuntur, hic conectere. Capite autem altero libri secundi illud ἅμα ἦρι, quamquam novem fere diebus post aequinoctium vernale incursio in Plataeas facta est, usurpatum habemus, ut legentes a fronte statim primae aestatis posita hac locutione initium aestatis, qualem Thucydides intellegi eam voluit, cum principio veris coniungerent.

Quoniam spero me demonstrasse diem initiorum annorum non fuisse ex calendario constitutum, sequitur, quae ex sua ratione Unger de fastis Atticis, qui fuissent temporibus belli Peloponnesiaci conclusit, caduca esse. Atque valet id potissimum ad novam quam Unger inde ex ol. 89, 4 constituit octaeterida, ex qua primus et quartus quisque annus earum olympiadum, quae recto ordine, ut brevitatis causa hac locutione utar, enumerantur, et tertius quisque annus earum olympiadum, quae in obliquo ordine inveniuntur, intercalares sunt. Idcirco enim hanc octaeterida proposuit, quod epocha diei Plataeensis non quadrat, nisi ol. 92, 1 annus intercalaris est, qui annus ex ratione a Boeckhio constituta (cftr. Mondcyclen p. 17) communis erat; nam si annus communis fuisset, debebat VIII 61 aestas ex Ungeri epocha iam inde a 23° d. m. Februarii incipere. Atqui supra computavi res VIII 60 narratas circa aequinoctium vernale accidisse: ergo ne epocha diei Plataeensis evertatur, Unger novam octaeterida construit, in qua primus quisque annus olympiadum recto ordine enumeratorum intercalaris fuit. Sed quoniam vidimus, initium aestatum non fuisse ex calendario determinatum, non habemus, cur annum ol. 92, 1 intercalarem esse velimus. Itaque universa octaeteris, cui alias quoque difficultates officere Lipsius, praeceptor veneratissimus, „studiorum Lipsiensium“ vol. III. pp. 211ª et 212ª demonstravit, valde fit suspecta.

§. 2. De hieme Thucydidea.

Venimus ad eam partem disputationis, in qua Unger meo quidem iudicio multo maiore cum fructu versatus est; attamen quamquam in summis rebus, in definiendis praecipue et auc-

tumni et hiemis initiis plane cum eo consentio, haec quoque disceptatio erit retractanda, quia in nonnullis quaestionibus, iisque non ita parvi momenti, ab eo discedendum, nonnullas magis illustrandas esse censeo.

Atque primum quidem cum quaerimus, quod spatium anni et aestati et hiemi tribuendum sit, in primis ratio est habenda verborum illorum V 20: κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, δέκα μὲν θέρη ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους, quae quomodo construenda sint, etsi inter viros doctos dissensio est, omnes tamen consentiunt Thucydidem voluisse aestates et hiemes paris esse spatii; et quamquam ea verba non ita urguenda esse, ut ne paucorum quidem dierum differentiam concedamus, Ungero adstipulor, tamen hoc luculento testimonio prohibemur, quominus distributionem plane imparem instituamus. Itaque recte Unger repudiat eorum opinionem, qui hiemem Thucydideam pariter atque hiemem communem ex quattuor mensibus constitisse existumant, quoniam tali divisione, qua hiems unam aestas duas partes explet, non possunt dici pares effici partes. Quod autem illi opponunt ex multis locis apparere Thucydidem auctumnum totum adscribere aestati, quia φθινόπωρον i. e. auctumnus exiens in fine θέρους non semel commemoratur, tenendum est auctumnum (ὀπώραν) a Graecis esse habitum spatium illud inde ab ortu Sirii, exeunte mense Iulio, ad decimum fere diem mensis Novembris pertinens, cum nos eum a die 21° fere m. Septembris ad d. 21^{um} m. Decembris computare soleamus; itaque initium nostri auctumni congruit cum φθινοπώρῳ auctumno exeunte Graecorum et Boehmius plane falsam excitat sententiam, quod ad II 2 haec adnotat: Thukydides erwähnt den Spätherbst im Sommer, immo dicendum est Thucydidem θέρους notione comprehendisse partem quandam ineuntis nostri auctumni. Neque cum VI 21 legitur ἐξ ἧς (scil. τῆς Σικελίας) μηνῶν οὐδὲ τεσσάρων τῶν χειμερινῶν ἄγγελον ῥᾴδιον ἐλθεῖν, sequitur Thucydidi hiemem quattuor tantum fuisse mensum, quia primum, id quod recte Unger animadvertit, ex articulo apposito μηνῶν τῶν χειμερινῶν liquet notionem hiemis proprio sensu intellegendam esse, tum vero scriptor

hoc loco ne potuit quidem hiemem plus quattuor mensum facere, quoniam non ipse narrat res gestas sed Niciam apud populum Atheniensium contionantem inducit, cui μῆνες χειμερινοί quattuor illi Pyanepsion Maimacterion Posideon Gamelion erant. In explorando igitur ipso die initii hiemis id sequendum est, ut efficiantur duae anni partes dimidiae.

Atque primum quidem cum l. II. c. 31° et 32° referatur incursionem ab Atheniensibus in Megarensium fines περὶ τὸ φθινόπωρον duce Pericle factam et classe centum navium, quae tum prope Aeginam erat, adiutam atque eodem tempore τελευτῶντος τοῦ θέρους Atalanten castellum occupatum et munitionibus firmatum esse, sequitur hiemem paulo post φθινόπωρον esse coepisse. Et quoniam hae res una sunt gestae neque multum temporis explent, certe non plus mensis dimidiam partem, φθινόπωρον autem (cftr. Unger Zeitr. p. 56) iniit inde a 16° fere die mensis Septembris, invenimus propter locutionem περὶ τὸ φθινόπωρον a decimo fere die m. Septembris profecti hiemem exeunte eo mense exordium habuisse.

At si auctumni exeuntis initium mensi Octobri tribuimus, ut, sicuti adhuc factum est, hiemem inde a mense Novembri instituere liceat*), processus rerum gestarum longitudine temporis nimis retardatur et dispescitur. Capite 28° enim l. II. memoriae traditur ea aestate defecisse lunam, id quod viri artis astronomicae gnari tertio die mensis Augusti accidisse rationibus habitis effecerunt. Paulo ante (25, 5) classis Atheniensium Eleorum terram incursionibus pressisse et devastasse perhibetur, quam in rem eos complures dies insumpsisse docet tempus quod dicitur imperfectum παραπλεύσαντες δὲ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπὶ ἄλλα χωρία ἐδήουν. Non multo post lunae defectionem eadem classis Sollion Corinthiorum castellum cepit et Palaerensibus tradidit, dein Astacum, quo in oppido Euarchus regnabat, vi expugnatum societati suae adiecerunt, denique Cephalleniam insulam navibus eo appulsis nulla pugna sibi conciliarunt (II 30). Alteram autem harum expeditionem alteram presse consecutam esse inde patet, quod nullis additis

*) Cftr. Classen ad II 31, 1 et 33.

temporis definitionibus particulis τε .. καί .. τε sunt coniunctae Cόλλιόν τε αἱροῦσι ... καὶ Ἄστακον ... λαβόντες ... προσεποιήσαντο· ἐπί τε Κεφαλληνίαν ... πλεύσαντες προσηγάγοντο. Non multo post (ὕστερον δ' οὐ πολλῷ II 30, 3) classis Athenas revertit et cum expeditiones in reditu susceptas esse non audiamus, efficitur iter nulla mora esse factum. Ergo si Athenienses Elidem populatos esse circa decimum quintum vel vicesimum diem mensis Julii ponimus (nam ante lunae defectiones eas accidisse modo vidimus) et expeditionibus in Sollium Astacum Cephalleniam susceptis viginti vel triginta dies concedimus, quod spatium meo quidem iudicio in tanta locorum propinquitate satis amplum est, sequitur exeunte mense Augusto classem domum vectam esse. Atqui eadem classis cum rediens Aeginae appropinquasset, ut Pericli qui eòdem tempore in Megarensium agrum incurrebat, adesset auxilio, advocatur: haec vero incursio adhuc mensi Octobri tributa est: igitur cum classis iam exeunte mense Augusto ancoras solverit, aut statuendum erit eam per unum fere mensem Cephallenia Aeginam navigasse, id quod propter intervallum nimis exiguum, quo eae insulae distant, credi nequit, aut nos de rebus mense Septembri gestis non esse certiores factos, id quod in tanta scriptoris nostri diligentia non minus a veri specie abhorret. Porro valde mirum est, quod Corinthii mensibus Septembri et Octobri praetermissis Novembri demum, cum hiems ingruisset et tempestas iniqua evasisset, expeditionem capite 33° traditam suscipiunt. Quas omnes difficultates dissolveris, si auctumnum exeuntem fuisse inde a die 16° m. Septembris et hiemem exeunte eo mense incepisse posueris; nam Corinthios mense Octobri in Acarnaniam vela fecisse probabile est, quoniam is quidem mensis expeditionibus suscipiendis etiam satis erat idoneus.

Similes difficultates oriuntur, cum, qui fuerit rerum processus tertio belli anno, accuratius inspicimus. Ex l. II. c. 79. p. 1ª discimus Athenienses ἀκμάζοντος τοῦ σίτου expeditionem adversus Chalcidenses suscepisse: quo cum advenissent, primum frumentum perdiderunt, tum pugna ad urbem Spartolum commissa fugantur; quae res cum dimidiam fere mensis partem expleant, Athenienses autem locutionem ἀκμάζοντος τοῦ σίτου

de medio fere mense Junio usurpaverint*), veri est simile hanc expeditionem alteram partem huius mensis et paucos forte dies mensis Julii sibi postulasse. Τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων (igitur medio fere mense Julio) Ambraciotae et Chaones Lacedaemoniis persuaserunt, ut secum Acarnanibus bellum inferrent (c. 80, 1); quo facto Lacedaemonii statim (80, 2 εὐθὺς πέμπουσι) Cnemum, qui tum nauarchi munere fungebatur, cum mille militibus gravis armaturae dimittunt. Qui cum clam Phormione traiecissent, ilico (εὐθὺς παρεσκευάζοντο 80, 4) bellum parant et exercitu coacto in Acarnaniam proficiscuntur; postquam in itinere vicum Limnaeum diruerunt, ad urbem Stratum Chaones ceterique barbari propter imprudentiam fugantur et Cnemus nocte statim insequenti in Ambraciam reverti coepit (80, 7 et 8. 81. 82). Cum reputem intra paucos dies Lacedaemonios in Ambraciam transvectos esse neque iter in Ambraciam factum, quippe quod Ambracia proxima Acarnaniam esset, multos dies absumpsisse, spatium valde magnum statuisse mihi videor, cum alteram mensis Julii partem dimidiam et totum mensem Augustum, dum haec geruntur, praeteriisse posui. Iam περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας τῆς ἐν Στράτῳ μάχης (exeunte mense Augusto commissae) classis Peloponnesiorum, quae et ipsa in Ambraciam traiectura erat, in Phormionem prope Naupactum prohibentem, ne naves Peloponnesiorum e sinu Corinthiaco eveherentur, incidit et proelio devicta Cyllenen rediit (83 et 84), quo eodem Cnemus ex Ambracia post pugnam Stratensem pervenit (84, 5). At Lacedaemonii dolentes cladem a Phormione acceptam Timocratem Brasidam Lycophronem ad Cnemum legant atque imperant, ut nova pugna mari committatur (85, 1 et 2); quae res dum parantur (85, 3), Phormio quoque nuntio Athenas misso postulat, ut novae sibi adessent naves (85, 4); sed quamquam viginti statim sunt dimissae, tamen tempus terunt, cum Niciae Cretensi adversus Cydoniatas auxilientur. Interim (86, 1 οἱ δ' ἐν τῇ Κυλλήνῃ Πελοποννήσιοι ἐν τούτῳ, ἐν ᾧ οἱ Ἀθηναῖοι περὶ Κρήτην κατείχοντο . .) Peloponnesii Panormum erant vecti et Phormio ad Rhium Molycricum naves appulerat, ubi cum sex

*) Cftr. Voemel, de tempore quo Attici ἀκμάζοντος τοῦ σίτου dixerint.

vel septem dies (86, 5) infecta re alteri adversus alteros in ancoris commorati essent, secunda pugna navalis conseritur, qua cum ancipiti eventu certatum esset (c. 87. ad 92, 5), Peloponnesii sub noctem in sinum Crisaeum et Corinthum aufugiunt, Atheniensibus paulo post pugnam naves illae, quae Cretae retentae erant, succurrunt. Quo facto statim aestatem exiisse patet primum ex arta coniunctione, qua scriptor, postquam adventum navium memoriae tradidit, adnectit illam formulam aestati finem imponentem (92, 7 καὶ οἱ ... Ἀθηναῖοι .... οὐ πολλῷ ὕστερον τῆς ἀναχωρήσεως τῶν νεῶν ἀφικνοῦνται ἐς τὴν Ναύπακτον καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα), tum quod Peloponnesii, antequam domum dimittuntur, impetum in Salamina faciunt, qui iam insequenti hiemi adscriptus est (II 93). Ergo inde ab initio mensis Septembris computantes, si nuntio Lacedaemonem misso tribus illis viris remissis parando alteri proelio navali quindecim vel viginti dies tribuimus, invenimus pugnam navalem vel vicesimo fere primo vel vicesimo sexto die mensis Septembris esse commissam et, cum aestatis finis paulo post eam consecuta sit, initium hiemis et ipsum exeunte mense Septembri fuisse. Qui autem hiemem Thucydideam eandem esse quam communem putant, quorum omnium instar Classenium profero, qui praefationis libro I° praemissae p. 70ª profitetur sibi neque de aestatibus neque de hiemibus ab Unggero esse persuasum, ut hiemem inde a mense Novembri incipere possint, alteram pugnam navalem mensi Octobri tribuere debent, qua re rursus per mensem Septembrem nihil fere gestum esse ponitur, id quod veri dissimillimum est, praesertim cum tanto ardore Lacedaemonios bellando se dedisse comperiamus, ut damnum priore pugna acceptum altera reficere vehementissime cuperent. Et quantopere a veri specie abhorret Odrysas, qui Haemum incolebant, mense Novembri, quo in eis quidem regionibus tempestas certe iam iniquissima erat, expeditionem grandem illam adversus Perdiccam et Chalcidenses subiisse (II 95—101)! Itaque exitum aestatis fini mensis Septembris Sitalcis expeditionem mensi Octobri tribuemus.

Iam quarto belli anno refertur (III 18, 3) περὶ τὸ φθινόπωρον ἤδη ἀρχόμενον Pachetem Athenis Mytilenen esse missum cum mille militibus gravis armaturae, qui cum ipsi remigassent,

urbem illam circumvallant et terra marique obsidere incipiunt, quo facto ὁ χειμὼν ἤρχετο γίγνεσθαι. Elucet res inter principium auctumni et initium hiemis interiacentes non multos absumpsisse dies, itaque necesse erit hanc paulo post illum ineuntem facere atque cum propter locutionem περὶ τὸ φθινόπωρον ἤδη ἀρχόμενον a tertio vel quarto decimo die mensis Septembris proficiscendum sit, rebus autem gestis spatium decem vel quindecim dierum sufficiat, quandoquidem illi milites, ut tempori parceretur, et ipsi remigarunt et omnes circumvallandae urbi operam dederunt et simplicem tantum murum exstruxerunt (III 18, 4 et 5), hiemem autem, dum hae res perficiuntur, obvenisse ex arta coniunctione apparet (καὶ ἡ μὲν Μιτυλήνη κατὰ κράτος ἤδη ἀμφοτέρωθεν καὶ ἐκ γῆς καὶ ἐκ θαλάττης εἴργετο καὶ ὁ χειμὼν ἤρχετο γίγνεσθαι), concludemus et hanc aestatem exeunte mense Septembri confectam esse.

Denique Brasidas cum anno 424° ὀλίγον πρὸ τρυγήτου adversus Acanthios profectus esset, oratione habita effecit, ut ei ab Athenienibus desciscerent seque exercitumque suum reciperent. Neque multo post etiam Stagiritae ad Peloponnesios defecerunt (IV 88, 2); deinde aestas concluditur. Atqui vindemia secundum Classenium fiebat exeunte mense Augusto, secundum A. Mommsenum*), cui maior in talibus rebus fides erit habenda, inde ab auctumno exeunte (φθινοπώρῳ), quapropter Arcturus, a cuius ortu φθινόπωρον computari solebat, et ipse τρυγητὴς appellabatur; ergo cum ὀλίγον πρὸ τρυγήτου idem sibi velit, quod πρὸς τὸ φθινόπωρον et decimum fere diem Septembris designet, Stagiritae autem paulo post desciverunt, quae res ultima ea aestate accidit, etiam hoc loco, ut exeuntem mensem Septembrem pro aestatis exitu habeamus, adducimur, praesertim cum eis, qui hiemem communem Thucydidi obtrudunt, statuendum sit Athenienses iniqua mensis Novembris tempestate expeditionem in Boeotiam suscepisse (cc. 89—101).

Quocum optime consentiunt duo loci, ubi Carneorum fit mentio. Nam cum (V 54) ol. 90, 2 Lacedaemonii, priusquam Carneis celebrandis se dedunt, sociis indixerint expeditionem mense Carneonem consequente suscipiendam, inter ludos ipsi

*) Griechische Jahreszeiten p. 576.

pacem agunt neque socii ita propensi sunt ad bellandum (V 54, 4), quamquam Epidaurii summo opere urgentur incursione Argivorum, quae quarto die ante mensem Carneonem initium habuit eamque aliquamdiu durasse patet ex V 55, 1 καὶ καθ' ὃν χρόνον ἐν τῇ Ἐπιδαύρῳ οἱ Ἀργεῖοι ἦσαν, ἐς Μαντίνειαν πρεσβεῖαι ἀπὸ τῶν πόλεων ξυνῆλθον. Atque in hoc conventu legatorum ineunte mense Carneone convocato primum decernitur Argivos compellendos esse, ut ex Epidauriorum finibus discedant (55, 1); persuadetur hoc Argivis sed, cum illo concilio discordiae non componantur, iterum in Epidauriorum agrum irrumpunt atque tum quidem Lacedaemonii sociis suis auxiliaturi sunt sed, cum auspicia evadant infausta, infecta re revertuntur (55, 3); praeterierunt igitur Carnea neque veri dissimile est illum conventum aut una cum Carneis, quae a die 7° ad 15^{um} eius mensis esse solebant, exiisse aut paulo post circa diem 20^{um} m. Carneonis. Expeditio igitur Lacedaemoniorum irrita populatio tertiae partis agri Epidaurii reditus Argivorum et Atheniensium (V 55, 3 et 4) aut ultimis decem diebus h. m. aut primis insequentis acciderunt, et cum Carneo, qui cum Attico Metagitnione congruit, ol. 90, 2 circa 20^{um} d. m. Septembris exeat, hoc autem anno initium hiemis statim res nunc relatas insecutum esse eluceat ex formula illa καὶ τὸ θέρος οὕτω διῆλθεν „der Sommer verfloss mit diesen Ereignissen", sine dubio rectissime argumentatus est Unger hiemem Thucydideam ultimis diebus mensis Septembris incepisse.

Aliud vir i. d. argumentum sibi comparavit speciosa interpretatione l. V. c. 76^{i}. Nam cum omnes fere interpretes adhuc hieme quattuor mensum posita valde haesissent, quod, quamquam inter Carnea priore parte m. Metagitnionis celebrata et primum mensem hiemalem (Pyanepsionem) unus mensis et dimidius alter interest, tamen l. V. c. 76° ineunte legitur: τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἀρχομένου εὐθὺς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον ἐξεστράτευσαν, et Dodwellius ad alterum mensem Carneonem intercalandum recurrisset, quod ideo veri dissimillimum est, quoniam Lacedaemoniorum mensem fuisse intercalarem Panemum accepimus, Krueger eumque secutus Stahlius verba ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον pro spuriis duxissent, Classenius plane incredibilem in modum sic explanasset, ut εὐθύς voce

non ad ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον relata interpretaretur: primis diebus insequentis hiemis eo tempore, quo Carnea iam praeterierant (sed quid sibi vult talis temporis definitio, quae fit ex re iam dudum praeterlapsa), Unger primus acute et mea quidem opinione unice vere divinavit non ei anno (ol. 90, 3) tribuendum esse mensem intercalarem sed praegresso, quo facto nostri anni mensum initia tricenis diebus post sunt instituenda. Neque enim ulla dispicitur causa, cur illa verba ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον interpolata videantur esse praeter argumentum supra prolatum, quod tamen sententia illa falsa de hieme quattuor mensum nititur, immo ex rerum statu aptissima mihi videntur esse. Devicti erant Argivi pugna Mantinensi (V 70—75) et altera clade, quam Epidaurii agrum Argivum adorti praesidio relicto intulerant (V 75, 4); facile autem Lacedaemonii si statim post pugnam Argivorum fines intrassent urbemque obsessione circumvallassent, civitatem debellatam et duabus calamitatibus afflictatam aut vi aut pactione ad imperium suum adiungere potuissent. Sed ut erant religiosissimi, ad Carnea celebranda domum redeunt pacemque agunt; interim animi Argivorum eorumque sociorum nova spe eriguntur, quin etiam ipsi Heraeum castellum Epidauriorum circumvallant et circumvallatione perfecta custodibus relictis domum revertuntur (V 75, 5 et 6). Consentaneum autem videtur esse Lacedaemonios, ubi primum dies festi praeterierunt, quam ocissime sociis suis obsidione pressis auxiliari: itaque Dodwellius artificio iam relato Carnea hiemi proxime admoverat. Sed qui illa ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον proscripserunt, num quid inde lucri fecerunt ad hanc difficultatem amoliendam? Minime! Sane eiectis eis verbis non iam haeremus, quod, etiamsi inter Carnea et initium hiemis unus mensis et dimidius alter, ut modo exposui, interest, tamen Lacedaemonii statim post exactos Carneorum dies festos profecti esse perhibentur: sed quoniam et Krueger et Stahlius censent hiemem inde a mense Pyanepsione incepisse, sequitur, cum Carnea priore parte Metagitnionis fuissent, Lacedaemonios per alteram eius mensis partem et per Boedromionem, quo tamen tempore nulla religione bellare vetabantur, domi remansisse Epidauriosque neglexisse. Quod quandoquidem nulla probabili causa

explanatur, vides viros illos doctos eam difficultatem, quae enuntiato ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἦγαγον perspicue denotabatur, removisse, eam, quae ipsa rerum condicione latet, non curasse. Verum si hiemem quattuor mensum missam faciemus et cum Ungero existimabimus praecedentem annum fuisse intercalarem, omnes difficultates evanescunt: congruit enim Carneo mensis illo anno cum Attico m. Boedromione a 9° die m. Septembris incipiente, et cum Carnea celebrata sint a die 7° ad 15^{um} m. Carneonis (a die 15° ad d. 23^{um} m. Septembris) et Lacedaemonii statim post Carnea exacta in Argivorum agrum iter fecerint, colligendum est, hiemem aeque ac ceteris locis perlustratis brevi post d. 23^{um} m. Septembris habuisse principium.

His igitur sex locis II 32. 92. III 18. IV 89. V 54 et 55. 76 effecimus hiemis initium ultimis diebus m. Septembris ponendum esse: quod cum circumspiciamus diem huius spatii in anno aut solari aut lunari insignem, ipsum statim offertur aequinoctium auctumnale, quod Thucydidem Euctemonem secutum die 26° m. Septembris constituisse verisimile est. Atque cum initium aestatis Thucydideae ab aequinoctio vernali fuerit, aequinoctiis autem vernali et auctumnali anni duae partes plane pares discribantur, liquet optimo iure scriptorem l. V. c. 20° de aestatibus hiemibusque dixisse: κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, δέκα μὲν θέρη ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους.

Quamquam haec verba non nimis premenda sunt; nam supra vidimus permisisse sibi Thucydidem, ut interdum aestatem paulo ante aequinoctium vernale incipientem uno loco hiemem post id exeuntem faceret; item duobus locis, quos Unger ita interpretatur, ut res narratas spatio nimis angusto comprimat, erit statuendum scriptorem, ut narrationis orbes quodammodo concludat, aestati complures dies addidisse, qui proprie hiemis erant.

Libri tertii capite 100° legimus: καὶ ἐξέπεμψαν Λακεδαιμόνιοι περὶ τὸ φθινόπωρον τρισχιλίους ὁπλίτας τῶν ξυμμάχων Aetolis, quibuscum Naupactum oppidum aggrederentur; atque postquam cc. 101° et 102° haec expeditio ad finem perducta est, c. 102. p. 7^{a} demum illud καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα additum

invenimus. Si propter locutionem περὶ τὸ φθινόπωρον censemus eam inceptam esse decimo fere die m. Septembris, ad finem aestatis duae hebdomades supersunt, quibus omnes res cc. 101° et 102° relatas accidere potuisse Unger*) opinatur. Neque enim exercitūs Delphos conventum neque legationes ad Locrorum civitates missas ad ipsam expeditionem pertinere sed antea facta loco praelusionis inserta esse; eam autem ipsam exordium capere a verbis 102, 1 ἐπειδὴ δὲ παρεσκεύαστο πάντα καὶ τοὺς ὁμήρους κατέθετο ἐς Κυτίνιον τὸ Δωρικόν, ἐχώρει τῷ στρατῷ ἐπὶ τὴν Ναύπακτον, quae redeant ad l. III. c. 100^{um} ἐξέπεμψαν Λακεδαιμόνιοι κτέ, quibus verbis narratio cum iam incohata esset, interruptam statim eam esse enumeratione sociorum a Lacedaemoniis coactorum. At scriptor si hunc fuisse rerum processum significare voluisset, debebat certe vel plusquamperfectis temporibus usurpatis vel addita aliqua temporis definitione indicare, cum antea exercitus collectus et legati ad Locrenses missi essent, περὶ τὸ φθινόπωρον iter Delphis ad Naupactum esse institutum. Verum qui iudicio non praeoccupato expeditionis huius historiam adspiciet, certe arbitrabitur, cum iam per aestatem ea parata esset, περὶ τὸ φθινόπωρον sociis Lacedaemoniorum imperatum esse, ut copias Delphos mitterent. Est autem notatu dignum Lacedaemonios ipsos milites non praebuisse, sed socios tantummodo expeditionis participes fuisse, atque ut Heracleotae diserte memorantur (III 100, 2), sic probabilis est coniectura exercitum praecipue ex eis populis cum Peloponnesiis consociatis esse coactum, qui prope Delphos habitabant et commode celeriterque eo pervenire poterant, Boeotos dico Phocenses Locrenses alios. Unde patet cum iam per antecedentem aestatis partem haec expeditio parata esset, facile intra quinque vel septem dies sociorum copias Delphos convenisse; sed quoniam Naupactum proficisci nequibant, nisi Locrenses sibi conciliaverant, Eurylochum primum cum eis agere oportuit, qua in re adiuvabatur ab Amphissensibus. Atque cum non dubium videatur, quin hae legationes magno studio effectae sint, et eodem fere tempore ad omnes civitates una cum praeconibus Lacedaemoniis primores

*) Zeitr. pp. 55 et 56 adnot. 10.

quoque Amphissensium accesserint neque omnino itinera nimis longa fuerint facienda, omnes res c. 101° narratas septem dierum spatio adscribere licebit, praesertim cum Locris exercitu appropinquante vix multum temporis ad reputandum et decernendum concessum esse videatur. Quae autem tum referuntur, iter per Locros, Oeneon et Eupalium capta, devastata terra Naupactia, occupatum Molycreum, reditus in Aetoliam, omnia haec certe intra duas hebdomadas accidere poterant; nam quod III 102, 3 a Demosthene Acarnanes adducti esse dicuntur, ut Naupactiis auxilio venirent, id certe iam perfectum erat statim, ubi rumor allatus est accedere exercitum Peloponnesiorum. Si igitur expeditionem incepisse decimo fere die m. Septembris statuimus, invenimus quattuor hebdomadibus post, septimo fere die mensis Octobris, Eurylochum in Aetoliam advenisse, ubi quieti se dat (καὶ ὁ μὲν Εὐρύλοχος πειcθεὶc καὶ τοὺc Αἰτωλοὺc ἀφεὶc ἡcύχαζε τῷ cτρατῷ περὶ τοὺc χώρουc τούτουc κτέ). Inde autem a conventu sociorum Lacedaemoniorum usque ad reditum in Aetoliam res uno tenore procedunt alteraque alteram excipit unamque seriem bene compositam constituunt, quae turpiter dilacerata esset, si scriptor particulam expeditionis proprie in hiemalibus rebus tradendam seiunxisset interposita formula illa aestatem concludente. Atque eo magis scriptor post totam expeditionem finem aestatis facere poterat, quod statim post eam in illis regionibus novae res non geruntur. Nam quamquam III 105 bellum illic rursus conflatum est, tamen multo post ac media demum hieme conflatum esse inde patet, quod tertio loco narratur, postquam expeditiones Atheniensium in Sicilia factae et lustratio Deli praecesserunt, quas et ipsas non statim ineunte hieme fuisse illud τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνοc adverbio εὐθύc vel participio ἀρχομένου carens docet.

Alterum exemplum, quo Thucydides solitum aestatis exitum transiisse statuendus sit, indagabimus, si res inde a VII 51 ad VIII 2 relatas recte computabimus. L. VII. c. 50. p. 4ª comperimus, cum Athenienses obsessionem Syracusarum omissuri et ab urbe profecturi essent, defecisse lunam, quod die 28° m. Augusti anni 413ⁱ accidit. Nicias, ut erat superstitiosus, hoc portento adeo est perterritus, ut profectionem inhiberet,

qua de re Syracusani certiores facti statim animis sunt erecti et cupiunt ὡς τάχιστα καὶ ἐν ᾧ σφίσι ξυμφέρει ἀναγκάσαι αὐτοὺς ναυμαχεῖν (VII 51, 1). Quo consilio capto naves complent et exercentur ἡμέρας ὅσαι αὐτοῖς ἐδόκουν ἱκαναὶ εἶναι, quibus exercitationibus si tres vel quattuor dies concedemus, quoniam Syracusani non plane rei navalis erant imperiti, vix spatium nimis breve tribuemus. Quinto igitur fere die post lunae defectionem Syracusani exercitu pedestri primum impetum in vallum murosque faciunt (VII 51, 2), qui cum eventum non prosperum habuisset (καὶ ταύτῃ μὲν τῇ ἡμέρᾳ ἀπεχώρησεν ἡ στρατιὰ τῶν Συρακοσίων VII 52, 1), insequenti (sexto) die et exercitu pedestri et classe Athenienses aggrediuntur (τῇ δ' ὑστεραίᾳ ταῖς τε ναυσὶν ἐκπλέουσιν οὔσαις ἓξ καὶ ἑβδομήκοντα, καὶ τῷ πεζῷ ἅμα πρὸς τὰ τείχη ἐχώρουν VII 52, 1). Qua duplici pugna vincuntur Athenienses (VII 53 et 54); Syracusani autem statim animo moliuntur portum quem dicebant magnum occludere (VII 56 οἱ Συρακόσιοι τόν τε λιμένα εὐθὺς παρέπλεον ἀδεῶς καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ διενοοῦντο κλήσειν), quod consilium ilico efficitur (ἔκλῃον οὖν τόν τε λιμένα εὐθὺς τὸν μέγαν . . . καὶ τἆλλα, ἢν ἔτι ναυμαχεῖν οἱ Ἀθηναῖοι τολμήσωσι, παρεσκευάζοντο VII 59, 2), sed aliquid temporis eos in hoc opus perficiendum insumpsisse denotat imperfectum illud ἔκλῃον, quapropter facile Diodoro fidem habebimus narranti: καὶ πέρας ἐν ἡμέραις τρισὶ τοῖς ἔργοις ἐπέθηκαν συντέλειαν (13, 14). Ergo quoniam nihil est, cur Ungero*) adstipulemur asseveranti Diodorum duos tantum dies plenos indicavisse, sed illo ἐν ἡμέραις τρισί diserte tres dies huic operi tribuuntur, alteram pugnam, quam Athenienses statim paraverant, cum portum occludi cognovissent et consilio ducum habito ad extrema descendendum esse constituissent, vel quarto vel Holmium (Gesch. Sic. II 414 et 415) sequentes quinto post prius proelium diei adscribemus (VII 60—71). Nocte protenus pugnae diem insequenti Athenienses proficisci volunt sed dolo Hermocratis prohibentur (VII 72—74) atque tertio demum die post pugnam (tertio decimo post lunae defectionem) iter instituunt (ἡ ἀνάστασις ἤδη τοῦ στρατεύματος τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀπὸ τῆς ναυμαχίας

*) Zeitr. p. 62.

ἐγίγνετο VII 75, 1), decimo die m. Septembris. Inde a profectionis die usque ad captum totum exercitum putat Unger quattuor tantum dies praeteriisse*) nisus eo potissimum, quod Diodorus minus totius itineris spatium profert, quam quod viri docti ex Thucydidis relatione computare solebant. At si qua existit repugnantia inter hos scriptores, eam difficultatem non sic amovendam esse arbitror, ut Thucydidis narrationem ex Diodoro interpretemur; immo cum Thucydidis rationem tempora computandi sumus exploraturi, certe eius solius usus erit considerandus, et quamquam Diodorus quoque has res ex puris hausit fontibus, tamen mihi quidem non ita absonum videtur esse differentiam inter Thucydidem et Diodori iam fontem statuere, praesertim cum reputem, quam saepe in rebus omnium temporum etiam aequalium diligentium narrationes inter se dissentiant; huc accedit quod nostro loco agitur de accuratissima singulorum dierum definitione, quae antiquis temporibus non tam facilis erat quam nostris, quia descriptio rerum gestarum hominum privatorum erat et inscriptiones publicae rerum tam minutarum vix habebant rationem. Ut autem sibi liceret has diversas relationes inter se conciliare et iter quattuor tantum dierum statuere, falsissimam Unger

excogitavit coniecturam; censet enim eum aeque ac diem civilem incepisse a solis occasu non ab eius ortu, quare praecipue illud τῇ ὑστεραίᾳ non a prima luce sed a vespero antecedente computandum sit. At minime haec ratio cum usu huius vocis convenit. Atque

I 51, 5 οἱ δὲ Κερκυραῖοι (ἦν γὰρ νὺξ) ἐφοβήθησαν, μὴ πολέμιαι ὦσιν, ἔπειτα δὲ ἔγνωσαν καὶ ὥρμίσαντο. 52, 1 τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἀναγαγόμεναι αἵ τε Ἀττικαὶ τριάκοντα νῆες ... ἐπέπλευσαν. Opponitur ἡ ὑστεραία praecedenti nocti, quae tamen, si scriptor diem inde a vespere praegressa computasset, pars eius erat; igitur ἡ ὑστεραία incepit, postquam nox praeteriit, h. e. a solis ortu. Item planissime res se habet

II 82 ἐπειδὴ δὲ νὺξ ἐγένετο, ἀναχωρήσας ὁ Κνῆμος ... τούς τε νεκροὺς κομίζεται τῇ ὑστεραίᾳ ὑποσπόνδους καί ...

*) Zeitr. p. 62 sqq.

III 73 ἀφικομένης νυκτὸς ὁ δῆμος ἐς τὴν ἀκρόπολιν . . . καταφεύγει . . . τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἠκροβολίσαντο.

91, 5 καὶ στρατοπεδευσάμενοι ταύτην τὴν ἡμέραν ἐν τῇ Τανάγρᾳ ἐδῄουν καὶ ἐνηυλίσαντο· καὶ τῇ ὑστεραίᾳ μάχῃ κρατήσαντες ἀνεχώρησαν. Primum narrantur Athenienses pernoctasse, tum demum nocte peracta insequens dies incipit, cum tamen, si antecedentem noctem insequenti diei attribuere voluisset, scriptor id dilucide significare potuisset scribens στρατοπεδευσάμενοι ταύτην τὴν ἡμέραν ἐν τῇ Τανάγρᾳ ἐδῄουν καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἐναυλισάμενοι . . . μάχῃ κρατήσαντες . . . ἀνεχώρησαν. Atque omnibus locis, ubi quidam pernoctasse et insequenti die quid effecisse feruntur, semper nox ante insequentem diem commemoratur eique opponitur, his IV 45. VI 50, 3. 67. 71. VII 3, 4. 35, 2. 78, 4.

IV 38, 4 καὶ ταύτην μὲν τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα ἐν φυλακῇ εἶχον αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι, τῇ δ' ὑστεραίᾳ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι τροπαῖον στήσαντες ἐν τῇ νήσῳ τὰ ἄλλα διεσκευάζοντο.

IV 96 νυκτὸς δὲ ἐπιλαβούσης τὸ ἔργον ῥᾷον τὸ πλῆθος τῶν φευγόντων διεσώθη· καὶ τῇ ὑστεραίᾳ οἱ ἐκ τοῦ Ὠρωποῦ καὶ οἱ ἐκ τοῦ Δηλίου φυλακὴν ἐγκαταλιπόντες . . . ἀπεκομίσθησαν.

IV 130 οἱ Μενδαῖοι νυκτὸς ἐλθούσης ἐς τὴν πόλιν ἀπῆλθον· τῇ δ' ὑστεραίᾳ μὲν οἱ Ἀθηναῖοι περιπλεύσαντες ἐς . . . τὸ προάστειον εἷλον.

VI 7, 2 ὑπὸ δὲ νύκτα, αὐλισαμένου τοῦ στρατεύματος ἄποθεν, ἐκδιδράσκουσιν οἱ ἐκ τῶν Ὀρνεῶν καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κτέ.

VII 45 postquam antecedenti capite narratus est impetus ille noctu in Epipolas factus legimus τῇ δ' ὑστεραίᾳ οἱ μὲν Συρακόσιοι δύο τροπαῖα ἔστησαν.

His igitur locis non dubium est, quin propter noctem diei insequenti aperte oppositam ἡ ὑστεραία exordienda sit a solis ortu, id quod aliis locis propter res narratas verisimile est velut:

III 79, 3 ἡ . . . ναυμαχία . . . ἐτελεύτα ἐς ἡλίου δύσιν. Corcyraei timent impetum Corinthiorum. οἱ δὲ (Κορίνθιοι) ἐπὶ μὲν τὴν πόλιν οὐκ ἐτόλμησαν πλεῦσαι κρατοῦντες τῇ ναυμαχίᾳ, τρισκαίδεκα δὲ ναῦς ἔχοντες ἀπέπλευσαν ἐς τὴν ἤπειρον ὅθενπερ ἀνηγάγοντο· τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἐπὶ μὲν τὴν πόλιν οὐδὲν μᾶλλον

ἐπέπλεον . . . ἐπὶ δὲ τὴν Λευκίμμην . . . ἀποβάντες ἐπόρθουν τοὺς ἀγρούς. Si cum Ungero facimus, nescimus, num Corinthii defatigati acri pugna navali et in castra reversi eadem etiam nocte terram vastaverint an insequenti die solari.

III 109 καὶ ἡ μὲν μάχη ἐτελεύτα ἐς ὀψέ. Μενεδάϊος δὲ τῇ ὑστεραίᾳ . . . προσφέρει λόγον περὶ σπονδῶν . . . Dubii haeremus, num Menedaius ipsa illa nocte iam cum Demosthene agere coeperit an insequenti die; verisimile autem hoc est, quia Menedaius primum curasse putandus est, ut res exercitus sui disturbati et clade afflictati aliquantulum componerentur, atque ipse labore diutini proelii lassatus quieti se dedisse et, priusquam Demosthenem adiret, consilium cum ceteris ducibus habuisse, praesertim cum periculum exercitus primum quidem moenibus satis defensi non tantum esset, ut ne nox quidem intermitti posset.

Tales autem causae cum omnibus ceteris locis adhibendae sint (II 22, 2. III 36, 4. 11, 3. IV 25, 8. 69, 3. 115, 2. V 66. VI 97. 99. 101. VII 38, 2. 39. VIII 11, 2. 23, 2. 28, 1. 35, 4. 79, 5. 93), colligitur, ubicunque τῆς ὑστεραίας inicitur mentio, semper eum diem esse intellegendum, qui a solis ortu ad occasum pertinet. Neque enim credibile est scriptorem, cum sedecim locis perspicue hac voce ita utatur, ut nihil esse possit nisi dies solaris, aliis ampliorem vim inesse voluisse, quia sic ipse nulla probabili de causa destitisset accurate rerum tempora constituere; nam si variaret notio vocis τῇ ὑστεραίᾳ, ut modo dies civilis modo solaris intellegeretur, exceptis illis sedecim exemplis semper inquiri necesse erat, num res narratae accidissent priore parte diei civilis, nocte, an altera. Unum locum afferre possint, qui contendant notione τῇ ὑστεραίᾳ etiam autecedentem noctem comprehendi. Nam IV 31 οὐ προσδεξαμένων δὲ αὐτῶν μίαν μὲν ἡμέραν ἐπέσχον, τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἀνηγάγοντο μὲν νυκτὸς ἐπ' ὀλίγας ναῦς τοὺς ὁπλίτας πάντας ἐσβιβάσαντες, πρὸ δὲ τῆς ἕω ὀλίγον ἀπέβαινον τῆς νήσου ἑκατέρωθεν sane nox commemoratur intra fines τῆς ὑστεραίας, sed illud enuntiatum a verbis τῇ δ' ὑστεραίᾳ incipiens oppositum est antecedenti, quo Athenienses quievisse referuntur; insequenti die impetus fit, qui cum prima initia iam haberet nocte diem pugnae proxime praegressa, nox aeque

ad insequentem diem adiecta est, atque vidimus eos dies proprie hiemales aestati adscribi, quibus res narrantur cum expeditionibus insequenti aestate gestis cohaerentes. Adde quod forma quoque enuntiati ita comparata est, ut inde conici liceat, noctem a scriptore partem illius ὑστεραίας non esse habitam; uti enim plerumque membrorum particulis μέν — δέ oppositorum priore minor res, altero summa refertur, sic nostro loco illud ἀνηγάγοντο μὲν νυκτός logice subiunctum est et idem sibi vult atque illud: primo die quietem egerunt, altero autem, postquam nocte ancoras solverunt, paulo ante primam lucem naves appulerunt proeliumque instituerunt. Igitur cum ne hic quidem voce ὑστεραία dies civilis significetur, propter sedecim illa exempla indubia ubique τὴν ὑστεραίαν a solis ortu incipere nobis persuadebimus.

Atque hoc quidem bene convenit cum usu vocis ἡμέρας. Ea enim haud dubie significat diem viginti quattuor horarum, cum spatium temporis aliquo dierum numero indicatur, velut II 86, 5 ἐπὶ ἓξ ἢ ἑπτὰ ἡμέρας ἀνθώρμουν ἀλλήλοις, VII 87, 3 ... ἡμέρας ἑβδομήκοντά τινας οὕτω διῃτήθησαν ..., tum cum certus aliquis dies aut ex calendario aut aliqua alia ratione constitutus significatur et vox ἡμέρα nostro fere „Termin“ consentit, velut I 60, 3 ... ἀφικνοῦνται τεσσαρακοστῇ ἡμέρᾳ ὕστερον ... ᾗ Ποτείδαια ἀπέστη, IV 77 ἡμέρα δ᾽ αὐτοῖς εἴρητο, ᾗ ἔδει ἅμα ταῦτα πράττειν. His autem omnibusque similibus locis nihil intererat noctem a die discerni, sed spatia satis declarabantur allato numero dierum, quia ad unumquemque diem ultro nox accedebat; item in exemplis alterius generis omnino ratio non habebatur differentiae noctis et diei, sed nomine diei certus quidam terminus indicatur. Ubicunque vero res gestae per dies referuntur, scriptor item, atque τὴν ὑστεραίαν a solis ortu ad occasum pertinere supra invenimus, ambiguitatis evitandae causa semper voce ἡμέρας diem solarem determinat, id quod paucis exemplis insignibus illustrare mihi liceat. Atque

III 79 Corcyraei postquam pugna navali sunt victi, ne Corinthii impetum in urbem suam faciant, magnopere verentur; sed hi cum pugna ἐς ἡλίου δύσιν exiisset, ad pernoctandum in castra sua in continenti collocata redeunt, unde insequenti die profecti ad Leucimmen promunturium navibus appulsis agros

devastant. Tum μέχρι μέσου ἡμέρας δηώσαντες τήν γῆν ἀπέπλευσαν, qui dies, cum Corinthii post solis ortum naves ad depopulandam terram appulerint, tantummodo solaris esse potest.

IV 35, 4 eo die, cuius ante initium Athenienses in insulam Sphacteriam copias traiecerunt, pugna inter Spartiatas et eos est conserta acerrima. καὶ χρόνον μὲν πολὺν καὶ τῆς ἡμέρας τὸ πλεῖστον ταλαιπωρούμενοι ἀμφότεροι ὑπό τε τῆς μάχης καὶ δίψης καὶ ἡλίου ἀντεῖχον. Spartiatae se dedunt Atheniensibus, qui ταύτην μὲν τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα ἐν φυλακῇ εἶχον αὐτούς· τῇ δ' ὑστεραίᾳ .... Illa ἡμέρα IV 35, 4 et 38, 4 commemorata utroque loco dies solaris est intellegendus, quia dies pugnae indicatur, hic autem propter illud τῇ δ' ὑστεραίᾳ (31, 1), quo diem solarem designari supra vidimus, a solis ortu incepit; porro notandum est noctem et antecedenti et insequenti diei opponi.

IV 129, 5 et 130, 1 καὶ ταύτην μὲν τὴν ἡμέραν, ὡς οὐκ ἐνέδοσαν οἱ Μενδαῖοι καὶ οἱ ξύμμαχοι, οἱ Ἀθηναῖοι ἀναχωρήσαντες ἐστρατοπεδεύσαντο, καὶ οἱ Μενδαῖοι νυκτὸς ἐπελθούσης ἐς τὴν πόλιν ἀπῆλθον. τῇ δ' ὑστεραίᾳ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι περιπλεύσαντες ἐς τὸ πρὸς Σκιώνης τό τε προάστειον εἷλον καὶ τὴν ἡμέραν ἅπασαν ἐδῄουν τὴν γῆν οὐδενὸς ἐπεξιόντος ..., οἱ δὲ τριακόσιοι τῶν Σκιωναίων τῆς ἐπιούσης νυκτὸς ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου· καὶ τῇ ἐπιγιγνομένῃ ἡμέρᾳ Νικίας μὲν τῷ ἡμίσει τοῦ στρατοῦ προϊὼν ἅμα ἐς τὰ μεθόρια τῶν Σκιωναίων τὴν γῆν ἐδῄου. Videmus noctes et dies alteras excipere alteros et noctes ut spatiâ paris momenti, quamquam pugnis non idonea sunt, opponi diebus, qui certe solares sunt propter ipsam oppositionem.

VII 74 Nicias et Demosthenes animis erant moliti ipsa nocte diem ultimae pugnae insequenti proficisci, quo de consilio Hermocratis dolo demoventur; καὶ ἐπειδὴ καὶ ὡς οὐκ εὐθὺς ὥρμησαν, ἔδοξεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν περιμεῖναι (non solum noctem).

Propter haec exempla perspicua, quibus facile multa addi possunt, non iam dubitandum videtur esse, quin, ubicunque aliquid aliquo die esse gestum perhibetur, nusquam dies solares non sint intellegendi. Atque rerum scriptori minime opprobrio dari poterat, quod de communi usu decessit. Etenim

res interdiu geri solebant; nocte interveniente a pugna desistunt populares Corcyraei et optimates (III 72), non insecuntur Peloponnesii Athenienses e clade Deliaca fugientes (IV 96, 8), proelium inter Mantinenses et Tegeatas dissolvitur (IV 134), quin etiam Peloponnesii custodiendis Plataeis destinati custodiis in moenibus derelictis se in turres recipiunt (III 21, 4). Quae autem expeditiones noctu efficiuntur, eas Thucydides ut notabiles et raras effert. Et profecto omnes propter insolentem aliquam causam aut insolenti consilio suscipiuntur, sicut III 81 Peloponnesii et IV 125 Macedones propter nimium timorem proficiscuntur, III 22 ad 24 Plataeenses eruptionem faciunt noctu, ut hostes inopinantes opprimant, IV 103 eodem consilio Brasidas adversus Amphipolin iter facit, VII 44 Demosthenes noctu hostes in Epipolis excubantes aggreditur. Solitos autem esse antiquos bellum noctu prorsus intermittere inde liquet, quod scriptor II 75, 3 tantopere effert, qui factum sit, ut Peloponnesii intra septuaginta dies Plataeam circumvallarent neque die neque nocte opere intermisso. Ut igitur huius quaestionis finem faciam, ubicunque narratio per dies procedit, semper dies a solis ortu ad occasum pertinentes esse statuendos invenimus; item ἡ ὑστεραία non a vespere antecedentis diei sed a prima luce habet initium; nox autem diei ut spatium ad bellandum minus idoneum est oppositum.

His iam expeditis in computandis diebus a lunae defectione ad captum exercitum Atheniensium pergere licet: qua in re perveneramus ad profectionem exercitus tertio decimo die post illam defectionem inceptam (VII 75, 1). Consentaneum est exercitum multis impedimentis onustum, animis propter ingentes calamitates demissis, labore ultimarum pugnarum alterius alteram excipientis defatigatum, levi armatura hostium continuo lacessitum itineribus non ita magnis procedere; qua de causa non mirabimur, quod quadraginta tantum stadia primo die permeantur (VII 78, 4 καὶ ταύτῃ μὲν τῇ ἡμέρᾳ προελθόντες σταδίους ὡς τεσσαράκοντα ηὐλίσαντο πρὸς λόφῳ τινὶ οἱ Ἀθηναῖοι). Insequenti die (altero itineris, 14° post. l. def.) mane proficiscuntur (τῇ δ' ὑστεραίᾳ πρῲ ἐπορεύοντο VII 78, 4 et 5), et quamquam nocte quieverunt neque magis quam primo die vexati esse videntur, quoniam nihil de acriore pugna

memoratur, hoc die viginti tantum stadia procedunt et castris positis aquam et cibos e vicis prope sitis sibi comparant. Iam vero VII 78, 6 cum haec legantur: τῇ δ' ὑστεραίᾳ οἱ Ἀθηναῖοι προῆεσαν, hunc novum diem non a proximo solis ortu Unger ineuntem facit sed a vespere alterum itineris diem insequenti; illud πρὼ δ' ἄραντες ineunte c. 79° collocatum ei significat solis ortum et quae c. 79. pp. 1ª ad 5ªm referuntur, diei solari tertii diei civilis tribuenda videntur. VII 79, 5 a verbis τῇ δ' ὑστεραίᾳ προυχώρουν quartus incipit Ungeri dies civilis, cuius vespere Athenienses quinque vel sex stadia progrediuntur, nocte autem Nicias et Demosthenes in aliam discedunt regionem. Nititur haec enucleatio interpretatione illa vocis τῇ ὑστεραίᾳ, quam falsam esse supra demonstravimus, sed Unger etiam res gestas, si singulos dies solares statuamus, ad haec spatia explenda non suppeditare affirmat. — At exercitus fugiens aerumnis primi diei lassus, altero, quem Unger ipse a solis ortu exorditur, primum viginti stadia permeat, id quod, si reputamus antecedenti die, cum vires militum tranquillitate bidui aliquantulum refectae essent, quadraginta tantum stadia eos emensos esse, huius diei certe maximam sibi postulavit partem, quoniam semper timentes hostium circumvolantium impetum sub divo pernoctantes requiete praegressae noctis vix quicquam recreati erant, inter ipsum autem iter, ne celerius paulo incederent, levi hostium armatura semper prohibebantur. Tum vero confecta viginti stadiorum via castra collocant (ἐστρατοπεδεύσαντο VII 78, 4) et aquam cibariaque ex illa regione comportant; interim Syracusani transitum, per quem Atheniensibus erat eundum, munitionibus occludunt: quae res sine dubio sufficiunt ad explendum et reliquum diei solaris spatium et partem vesperi. Sed secundum Ungerum Athenienses statim post solis occasum rursus procedunt, tanquam post iter tam molestum tam periculosum nulla requiete egerent; miramur autem, qua de causa posuerint castra, quoniam, si nulla fere mora interiecta progressuri erant, satis erat, ut pars exercitus sarcinis depositis pabulatum iret, cum ceteri etsi parvae requietis causa impedimentis se levarent, in ipso agmine remanere possent, minime autem, quippe quod affatim iam essent defessi, operam castra locandi sibi insuper imponere

deberent. Haec igitur castrorum positio satis mihi videtur indicare pernoctasse Athenienses illic et post insequentem demum solis ortum processisse. Neque enim quae VII 78. pp. 6ª et 7ª produntur, vespere alterum diem insequenti accidere potuerunt. Nam cum Holmius, vir illarum regionum peritissimus, doceat*) nullo fere spatio intermisso post solis occasum obvenire noctem, illa autem pugna (78, 7), quam statim post vergentem diem incepisse sumamus, diu perduraverit (χρόνον πολὺν ἐμάχοντο οἱ Ἀθηναῖοι) et certe ad multam noctem, valde mirum est, quod scriptor ne uno quidem verbo monet proelium fuisse nocturnum, cum in descriptione illa impetus nocturni in Epipolas facti adeo efferat, quantum valeant tenebrae ad expeditionem quamlibet nocturnam terribilem reddendam. Tum vero si ipso illo vespere progressi sunt et nocte eodem reverterunt, unde erant profecti, quid sibi vult illud καὶ τὰ ἐπιτήδεια οὐκέτι ὁμοίως εἶχον, cum Athenienses paulo ante sub vesperum frumentati essent. An credamus eos eadem nocte, qua in castra redierunt, iterum aquam et cibos quaesivisse neque quicquam invenisse? Quas propter difficultates illud τῇ ὑστεραίᾳ optimo iure de insequenti die solari interpretabimur et hinc (a VII 78, 6) tertium itineris diem instituemus, decimum quintum post lunae defectionem**). Nec tamen multum itineris progrediuntur Athenienses, quia magnopere vexantur acerrimo impetu Syracusanorum. Longe enim vehemen-

---

*) Cftr. Bursian, Ib. über Sicilien 1875. II. p. 88.

**) Grotius quoque errat quod (cftr. versionis Theodiscae vol. IV. p. 259ªᵐ) hos duos dies in unum contraxit; refert enim altero die Athenienses viginti stadia emensos esse, castra locasse, frumentum comportasse, interim viam a Syracusanis munitionibus esse occlusam, Athenienses, cum frustra perrumpere conati essent, eodem revertisse, ubi primam noctem egissent, et postquam memoriae prodidit, quae apud nostrum pp. 1ª ad 5ªᵐ c. 79ⁱ leguntur, tertiam illam noctem Athenienses in eadem planitie egisse dicit, quae revera quarta fuit nox. Nam vir i. d. cum ad Thucydidis verba (VII 78, 7) ἔπειτα ἀνεχώρησαν πάλιν ἐς τὸ αὐτὸ στρατόπεδον suppleverit enuntiatum ἐν ᾧ τῇ προτέρᾳ νυκτὶ ἐνηυλίσαντο, non satis memoria tenuit Athenienses si altero die eodem revertissent, ubi per primam noctem fuissent, debuisse etiam viginti illa stadia eodem die iterum percurrere, id quod veri dissimillimum est. Quam difficultatem non effugies, nisi duos distinxeris dies (alterum c. 78. pp. 4ª et 5ª, tertium pp. 6ª et 7ª narratum).

tiorem eum fuisse perspicies, cum scriptoris verba, quibus hunc adumbrat καὶ οἱ τῶν Συρακοσίων καὶ ξυμμάχων αὐτοὺς ἱππῆς καὶ ἀκοντισταὶ ὄντες πολλοὶ ἑκατέρωθεν ἐκώλυον καὶ εἰσηκόντιζόν τε καὶ παρίππευον, comparabis cum eis, quae de prioribus diebus tradit: οἱ δὲ Συρακόσιοι παριππεύοντές τε προσέκειντο καὶ ἐσακοντίζοντες οἱ ψιλοί (VII 78, 3); illis igitur cum concursationes tantum fuissent non ipsum proelium, tertio die pugnam esse consertam et eam acrem, verba καὶ χρόνον μὲν πολὺν ἐμάχοντο οἱ Ἀθηναῖοι docent. Et sane hoc die Syracusanorum, qui prioribus hostes non multum in procedendo retinuerant, plurimi intererat eos ex illo loco non evadere, quoniam, cum id perpetratum esset, Athenienses nova quoque molestia, fame, premebantur. Qui cum initio statim itineris non multum haberent victus, cibos sibi ex vicis, per quos permeabant, comparare debebant; unus autem pagus tanto exercitui (VII 75, 5) victum paucorum tantummodo dierum praebere poterat: quare cum hoc die pugna inferiores via non patefacta eodem rediissent, ubi iam altero die castra collocaverant, καὶ τὰ ἐπιτήδεια οὐκέτι ὁμοίως εἶχον: nam ne frumentandi causa latius vagarentur, equitatu hostium prohibebantur, ille autem vicus, unde priore die pabula collegerant, iam videtur paene exhaustus fuisse (vides, quam nunc habeant bonum explicatum ea verba). Atque novo hoc periculo non ignorato insequenti die (quarto itineris, decimo sexto post lunae defectionem) Athenienses, cum prima luce profecti essent (79, 1), summo opere enitentes, ut hostium exercitu depulso sibi viam patefaciant, acerrimeque dimicantes ad collem illum secundo die a Gylippo munitum perveniunt (ἐβιάσαντο πρὸς τὸν λόφον τὸν ἀποτετειχισμένον), quem ut transire sibi liceat, rursus cum Syracusanis manus conserunt, quae duae pugnae et in itinere et ad collem commissae certe totum fere diem expleverunt; defatigati dum requiescunt, Gylippus circummissis equitibus eos a tergis circumventurus est, id quod Athenienses cum prohibuissent, in locum planum se recipiunt ad pernoctandum (VII 79, 5 καὶ μετὰ τοῦτο πάσῃ τῇ στρατιᾷ ἀναχωρήσαντες πρὸς τὸ πεδίον μᾶλλον οἱ Ἀθηναῖοι ηὐλίσαντο). Neque vero miramur, quod Syracusani eos et requiescere et in planitiem decedere sinunt, cum VII c. 81. p. 5^{am} memoria tenemus: nolebant enim ultro proeliis institutis se in discrimen conferre,

quia sperabant fore, ut aliquando Athenienses continuis laboribus in diem magis et viribus et animis deficientes minore cum periculo caperentur; itaque satis habent, ubi impetus ab eis fit, se defendere et arcere, quominus illam ingrederentur viam, qua se servare possent, sed ubi de consilio demoti non iam processuri sunt, et ipsi a pugna desistunt, praesertim cum multo periculosius esset Athenienses requiescentes aggredi quam proficiscentes. Nam cum in itinere sarcinis onusti non idonei essent ad hostium equitum concursationes et excipiendas et propulsandas, ut nullo fere suo periculo Syracusani tum hinc tum illinc in eos inveherentur, ubi requieti se dederunt impedimentis depositis expediti acerrime certe impetu facto, ut de suis rebus desperabant, pugnavissent hostibusque facile magnum intulissent detrimentum. Quod autem Unger non solum pugnam in itinere, pugnam ad collem commissam, requietem Atheniensium, iter in planitiem factum sed etiam illud αὐλίζεσθαι (79, 4) ante solis occasum accidisse statuit, mihi videtur iusto plura huic diei solari tribuisse neque vocis αὐλίζεσθαι usum satis respexisse. Quae quamquam requietem etiam interdiu actam significat, tamen in tali locutione ηὐλίσαντο· τῇ δ' ὑστεραίᾳ semper de nocturna quiete intellegendum esse supra comprobavimus*). Sed statuamus cum Ungero illam ὑστεραίαν a vespere huis diei incepisse, quam parvulum sibi permiserunt Athenienses spatium requietis! quam mirum est, quod, si statim post solis occasum rursus profecturi erant, etsi ab hostibus non lacesserentur, non uno loco quieverunt sed duobus! — Propter hasce difficultates certe a verbis c. 79. p. 5ae τῇ δ' ὑστεραίᾳ προυχώρουν quintus dies itineris (decimus septimus post lunae defectionem) isque a proximo solis ortu exordiendus est, quem solarem esse non posse Unger existimat, primum quod Athenienses quinque vel sex tantum stadiorum iter conficiant, tùm quod perspici nequeat, cur Syracusani Athenienses quieti se tradere siverint et ipsi nullo impetu facto in castra se contulerint. Haec altera causa refutata est bene reputato consilio, quod Syracusani in lacessendo et aggrediendo sequebantur, quo de supra exposui. Tum vero quam facile expla-

*) Cftr. p. 55.

natur exercitum pugnis duorum dierum acribus et lassatum et omni spe orbatum, sarcinis impeditum, continuis undique incursionibus vexatum, tum hic tum illic hostes propulsantem, modo consistentem modo huc modo illuc de via decedentem paucissima stadia progredi et tali ratione totum fere diem consumi! At ne vespere haec facta esse opinemur, dehortatur multitudo rerum, quae parvulo spatio inter solis occasum et noctem intercedenti comprehendi nequeunt. Quam enim crebrae illae concursationes fuerint quantumque temporis duraverint, dilucide apparet cum ex imperfectis et optativis qui dicuntur iterativis illis οἱ Συρακόσιοι προσέβαλλόν τε παντα χῆ . . . καὶ πολλοὺς κατετραυμάτιζον καὶ εἰ μὲν ἐπίοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, ὑπεχώρουν, εἰ δ' ἀναχωροῖεν, ἐνέκειντο, tum ex verbis καὶ ἐπὶ πολὺ μὲν τοιούτῳ τρόπῳ ἀντεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι. Verum si ad multam noctem permansissent, explicari nequit, cur omissa sit eius mentio in enarrandis his rebus, qua tamen iter periculosissimum fiebat, praesertim cum reputemus, quae perturbatio, quamquam hostes non urgebant, in itinere insequenti nocte facto sit orta (cftr. 80, 3). — Nocte igitur quintum diem consequenti Nicias et Demosthenes, cum in aliam regionem decessissent (80, 1 ad 4), ἅμα τῇ ἕῳ sexti diei (duodevicesimi post l. defect.) ad mare perveniunt, ubi viam Elorinen ingressi, postquam manum Syracusanorum transitum fluminis Cacyparis munitionibus impedientem fugarunt, iter ad Erineum fluvium dirigunt (80, 5 et 6). Interim prima luce huius diei Syracusani, ubi aufugisse hostes cognoverunt, statim insecuti Demosthenem, qui in itinere nocturno cum agmine novissimo relictus plane a Nicia seiunctus erat, περὶ ἀρίστου ὥραν inveniunt (81, 1); circumvenitur ab eis et pugna conseritur, quam inde a meridie ad solis occasum fuisse liquet ex illo ἐπειδὴ οὖν δι' ἡμέρας βάλλοντες πανταχόθεν τοὺς Ἀθηναίους καὶ ξυμμάχους ἑώρων ἤδη τεταλαιπωρημένους (82, 1); sub vesperum igitur Demosthenes se exercitumque tradit Gylippo (falsus est Unger, quod Demosthenem se dedisse περὶ ἀρίστου ὥραν contendit, quia videlicet non reputavit, postquam Syracusani in eius exercitum inciderunt, diu esse pugnatum). Interim Nicias ad flumen Erineum pervenit, quo traiecto in colle declivi consedit. Ibi pernoctatum esse neque vespere hunc diem consequenti, quae c. 83.

pp. 1ª ad 3am narrantur fieri potuisse, ut ἡ ὑστεραία hic quoque a proximo solis ortu exordienda sit, bene iam docuit Holmius*). Primum cum Demosthenes die vergente demum se dederit, Nicias autem quinquaginta stadiis absit, veri est dissimile tempus inter Demosthenem deditum et vesperum intercedens suffecisse, quo Syracusani eum assequerentur; tum intra breviculum vesperi spatium Syracusanos cum Atheniensibus egisse eosque de Demosthene certiores fecisse, deinde equitem ad hunc missum esse et revertisse, rursus Niciam cum Syracusanis egisse, pugnam commissam et diu dimicatum esse nulla ratione persuadere mihi possum; nec licere cum Volquardseno**) verba ἔβαλλον . . . μέχρι ὀψέ intellegi „ad multam noctem“ ostendit noctis insequenti enuntiato oppositio τῆς νυκτὸς φυλάξαντες τὸ ἡσυχάζον ἔμελλον πορεύεσθαι, propter quam quae antecedentibus enuntiatis relata sunt, facta esse sequitur, quo tempore nondum nox erat. Septimo igitur die itineris (undevicesimo p. l. def.) Syracusani Niciam sunt consecuti, et postquam frustra cum eo egerunt, pugnaverunt μέχρι ὀψέ (83, 1 ad 4). Insequenti nocte Athenienses conantur clam discedere, id quod cum a Syracusanis esset animadversum, plurimi remanent pauci aufugiunt; proximo die (octavo itineris, vicesimo p. l. d.) Nicias ad flumen Asinarum iter facit, quem traiciens exercitus summopere vexatur et ingenti clade afflictatur, ut Nicias de salute fugae desperans se tradat cum maiore exercitus parte. Verum quae deinde memoriae traduntur ad exeuntem aestatem, bene mihi videtur Unger demonstrasse non plus sibi poscere temporis quam duas hebdomadas. Fugientes enim illi milites duabus certe diebus Catanam properare poterant et, cum dubium non sit, quin et ipsi et qui eis faverent summa cum celeritate reditum egerint, facile sex vel octo diebus Athenas nuntium detulerunt; triginta igitur fere diebus post lunae defectionem, die 27° m. Septembris, Athenas primi nuntii advenerunt, qui tamen non statim fidem sibi conciliarunt, quin etiam militibus maxime strenuis, qui ex ipsa expeditione aufugerant, diu diffidebant. Illud ἐπὶ πολὺ ἠπίστουν (VIII 1) recte Unger de temporis spatio non ita longo interpretatus est: neque enim milites

*) Bursian Jb. über Sicilien 1875, II. p. 88.

**) Bursian Jb. über griech. Chronologie 1876, III. p. 415.

fugitivi soli nuntium afferebant sed undique Athenas fama perveniebat; nam nuntius a Gylippo Spartam missus haud dubie celerrime eo transvectus erat, unde cum rumor ocissime Graeciae urbes pervagaretur, Athenienses post paucos dies ambigere nequibant. Mirum autem est, quod omnino unaquaque nave Siciliensi novos testes novos nuntios apportante et rumore etiam aliunde adveniente non statim habebant fidem, quare scriptor frequentiam testimoniorum allatorum respiciens vel duos sive tres dies πολὺν χρόνον nuncupare poterat. Atque cum certe statim, postquam de ipsa ingenti calamitate dubitatio non iam concessa erat, contio populi convocata sit, illa decreta (VIII 1, pp. 3 et 4) primis diebus m. Octobris erunt tribuenda (praeterierunt igitur a lunae defectione, die 28° mensis Augusti, viginti dies ad Niciam traditum, inde decem dies ad nuntium Athenas delatum, ut dubitationi Atheniensium et rebus illis decernendis restent septem fere dies). Aestatis ergo exitus, cum statim post effecta decreta memoretur (VIII 1, 4 καὶ ὡς ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐποίουν ταῦτα, καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα) decem fere diebus post aequinoctium auctumnale fuit, quos scriptor manifestissime aestati adscripsit, ut aptam nancisceretur expeditionis Siciliensis conclusionem. Etenim quoniam Nicias eiusque exercitus octavo fere die ante solitum hiemis principium capti sunt (VII 85), poterat certe aestati finis imponi, postquam Athenienses in latomias abductos esse et Niciam Demosthenemque interemptos memoriae traditum est, quia, cum Syracusani et Lacedaemonii de Nicia et Demosthene aliquamdiu agerent (cftr. 86, 4 οἱ μὲν δείσαντες . . . ἄλλοι δὲ . . . πείσαντες τοὺς ξυμμάχους ἀπέκτειναν αὐτούς), hae res circa ipsum aequinoctium acciderunt; poterat ergo exeunte p. 5[a] c. 86[i] illa formula aestatem concludens collocari, quo tamen facto relatio de eventu expeditionis Siciliensis ita esset dissecta, ut sors ducum in aestate ceterorum militum in hieme proderetur. Id quod scriptoris ars tam vehementer fastidiebat, ut, priusquam ad res in Graecia ipsa gestas rediret, ne duos quidem amplius menses proprie hiemales praecipere vereretur, quoniam ante proximae hiemis initium refert, quid per septuaginta dies caedem Niciae et Demosthenis insequentes milites in latomiis sint perpessi, quo modo denique Syracusani eis sint usi (87, 1—3).

Tum demum, cum de magnitudine etiam damni Atheniensibus illati, de gravitate universae expeditionis verba fecerit, in Graeciam ipsam revertitur. At hic quispiam miratus sit, quod scriptor, cum ceteroquin operam dederit, ut exitus aestatum et hiemum congruerent cum belli periodis, non post absolutam historiam expeditionis Siciliensis exeunte paragrapho sexta c. 87[i] intermisit illud καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα, qua tamen re, si ineunte c. 1° l. VIII. inveniremus formulam τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος, id effecisset, ut res c. 1° l. VIII. narratae, quas aequinoctium consecutas esse nunc vidimus, in hiemis historia proderentur. Sed hoc fieri nequibat, quod Thucydides consuetudine sua neglecta c. 87[i] pp. 1[a] ad 3[am] duos menses proprie hiemales praesumpserat. Ergo si post ταῦτα μὲν τὰ περὶ Σικελίαν γενόμενα haberemus καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα, haud dubie arbitrandum erat aestatem exiisse, postquam Atheniensium captivi per septuaginta dies in latomiis fuerunt et dein venierunt, et si ineunte l. VIII. c. 1° haec legerentur: τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἐπειδὴ ἐς τὰς Ἀθήνας ἠγγέλθη, ἐπὶ πολὺ μὲν ἠπίστουν, sequeretur Athenienses et diffisos esse et certiores tandem factos decreta scivisse post septuaginta illos dies et postquam superstites captivorum sub corona venierunt; scriptor igitur verum rerum ordinem turpissime obscurasset et perturbasset, et quoniam VII 87, 1—3 narrationem iusto longius in insequentem hiemem promoverat, priusquam formulam, qua hiems iniens denotaretur, interponeret, ad principium eius regredi debebat. Et cum e rebus aestate exeunte gestis nullae iam superessent, quas memoriae proderet, facere non potuit, quin antecedenti aestati complures res adscriberet, quae initio statim proximae hiemis gestae erant; scriptoris autem artem, qua nusquam orbes quosdam narrationis non constituere studet, inde cognoscis, quod ante hiemis initium omnia rettulit, quae ad Athenienses spectabant, tum principio statim insequentis hiemis ad Peloponnesios transit.

Quo modo cum duos illos locos, quibus solis hiemem post aequinoctium auctumnale cepisse initium evinci potest, expediendos esse ostenderimus, iam velim animadvertas, qua ratione Thucydides effecerit, ut legentes ipsi hiemem ex hoc tempore incipiant. Atque ut locutione ἅμα ἦρι a fronte statim primae

aestatis collocata eos adduxit, ut aestatis principium cum veris principio, aequinoctio vernali, componerent, sic II 31, 1 paulo ante primae hiemis initium mentione φθινοπώρου iniecta admonuit, ne communem hiemem intellegeremus sed etiam hiemi propriam tribueremus naturam eamque mox post iniens φθινόπωρον, h. e. ab aequinoctio auctumnali, exordiremur*).

Restat ut videamus, num ratio proposita conveniat cum eis, quae scriptor ipse l. V. c. 20° de sua annos definiendi ratione docuit. Haec sunt: σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον· οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν· οἷς καὶ ἀρχομένοις καὶ μεσοῦσι καὶ ὅπως ἔτυχέ τῳ ἐπεγένετό τι, cuius loci quamquam prior pars difficillima est expositu, tamen res non ex nominibus magistratuum eponymorum enarrasse Thucydidem cognoscitur, quod in computandis temporibus facillime sic vitia nascuntur. Nam si anni alicuius archontis parvula pars bellando consumpta est, tamen cum constituitur series magistratuum, quibus fungentibus aliquod bellum duravit, quoniam eius quoque nomen apponitur, facile usu venit, ut vel duo anni praeter verum spatium efficiantur; sic enim locum interpretandum esse acute perspexit Unger**). Opponitur ergo rationi κατὰ τοὺς ἄρχοντας computandi ea, quae fit κατὰ τοὺς χρόνους, scilicet illos χρόνους, qui legentibus in historia belli Archidamici tam saepe occurrerunt (scripta enim invenitur haec adnotatio in fine operis). Iam si quaerimus quales sint illi χρόνοι, rectissime Unger respondet: Nicht die eigentlichen bloss auf Naturzeit, sei es des Sonnen- oder des Sternenlaufes gegründeten

---

*) Volquardseni coniecturam (cftr. Bursian Jahresber. 1879 III. p. 113—115), ex qua censet hiemes quoque Thucydideas ex calendario fuisse definitas, quamquam processu disputationis meae iam refutata est, tamen, ne quid omisisse videar, paucis verbis reiciam. Ea enim stare non potest, nisi VIII 7 lectionem codicis Vaticani interpolatam (ἅμα δὲ τῷ ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους) servamus, quod cur non concedendum sit, supra exposuimus (p. 34); tum repudianda est, quod res inde a l. VII. c. 51° ad l. VIII. c. 2^{um} narratae incredibilem fere in modum breviculo inter d. 28^{um} m. Augusti et d. 12^{um} m. Septembris spatio includendae sunt.

**) Zeitr. p. 40 et 41.

vier Jahreszeiten sind es, welche das Mass der Zeiten geben, sondern „Sommer“ und „Winter“, zwei uneigentlich genommene Zeitbezeichnungen, welche daher ebensowohl nach Kalender- wie nach Naturzeit von ihm berechnet sein können. Vidimus autem fuisse et aestatem et hiemem Thucydidis ex solis cursu definitas: igitur hic locus nostrae rationi minime obstat.

Conveniunt denique cum ea computationes spatiorum et belli Archidamici l. V. c. 20° et totius belli l. V. c. 26° exhibitae. Nam cum aestatum et hiemum initia ex sole determinata fuisse invenerimus, sequitur scriptorem omnes res per duo illa aequinoctia digessisse. Itaque cum Boeckhio diem irruptionis Plataeensis ex solis cursu definiemus nec minus dies pacis Nicianae captarumque Athenarum (nam V 20 verba ἡ ἐcβολὴ ἡ ἐc τὴν Ἀττικὴν καί extrudenda et a die incursionis in Plataeas factae utroque loco tempus computandum esse supra perspeximus): qua ratione belli Archidamici prodit spatium decem annorum et septem dierum (inde a 4° die m. Aprilis anni 431[i] ad 11[um] d. m. Aprilis a. 421[i]) et totius belli viginti septem annorum et viginti unius dierum (inde a 4° die m. Aprilis a. 431[i] ad d. 25[um] m. Aprilis a. 404[i]), quod utrumque optime consentit cum scriptoris verbis αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουcῶν (V 20) et εὑρήcει τιc τοcαῦτα ἔτη καὶ ἡμέραc ὀλίγαc παρενεγκούcαc*). Id quidem Boeckhio, qui propter locutionem αὐτόδεκα ἔτη καὶ ἡμέραι κτέ necessario statuendum esse contenderat accessisse aliquot dies ad illa spatia, cum nisi ea explerentur, scribi oporteret ἢ ἡμέραc ὀλίγαc παρενεγκούcαc, recte Unger opposuit propter verba ipsa dies et deesse potuisse et accedere: sed quod propter vim verbi παραφέρειν ambiguam censet alteri loco alteram vim esse adhibendam, quoniam, si utroque loco dies quidam plenis numeris deessent, ob Thucydidis studium quam accuratissime loquendi expectaretur scriptum esse ὀλίγων ἡμερῶν δεουcῶν, equidem respondeo, si tanta diligentia a scriptore exigenda sit, me mirari, quod omnino voce ambigua usus est neque, si cum Ungero faciendum est, altero loco scripsit αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων προcελθουcῶν, altero

*) Böckh Mondcyclen, pp. 80—82.

τοσαῦτα ἔτη ὀλίγων ἡμερῶν δεουσῶν. Sed hae argutiae satis iam refutatae sunt rationibus supra comprobatis.

Itaque cum ad finem huius quaestionis pervenerimus, vidimus et aestatem et hiemem ex solis cursu definitas esse, ut altera ab aequinoctio vernali altera ab aequinoctio auctumnali incipiat: id quod convenit cum Thucydidis ipsius testimonio, quo utramque esse partem anni dimidiam professus est. Neque tamen scriptor, ut narrationis orbes quasi rotundaret, veritus est compluries aestatem ante aequinoctium vernale ineuntem facere, raro post aequinoctium auctumnale exeuntem, nempe quod, cum circa ver et bellum et annus caperet initium, incipiente aestate maior ut ita dicam incisio fiebat; nec vero item poterat exitus aestatum semper cum exitu bellandi conciliari, quia, cum post aequinoctium auctumnale non semel expeditiones maiores susciperentur, facile accidisset, ut nimis multi dies aestati adscribendi essent. — Quod si mihi contigerit, ut, quod Ullricus *), vir omnibus, qui Thucydidi operam navant, summopere colendus olim speravit — fore ut uberiore disputatione scriptoris l. V. c. 20^{i} de natura aestatum hiemumque verba probarentur —, si non evicerim attamen aliqua cum probabilitate explanaverim, magnam inde percipiam laetitiam.

*) Cftr. Beiträge zur Erklärung des Th. p. 32 adnot. 50.

II.

Unde incepisse quo pertinuisse dubiam pacem censuerit Thucydides.

Altero quod dicitur prooemio (libri V. capp. 25° et 26°) Thucydides fusius disserit, quo iure historiam belli Archidamici continuaverit adiuncta descriptione et annorum, qui inter illud bellum et Deceleicum intercederent, et belli Deceleici ipsius. Atque persuasum habet licere medium inter bella Archidamicum et Deceleicum tempus pro bello habere, quia, si res gestae inspicerentur, appareret specie pacem fuisse, revera esse bellatum (V 26, 2 τοῖς [τε] γὰρ ἔργοις ὡς διήρηται ἀθρείτω καὶ εὑρήσει οὐκ εἰκὸς ὂν εἰρήνην αὐτὴν κριθῆναι): neque enim omnia reddita esse neque recepta, quae essent constituta, et praeterea Peloponnesios cum Atheniensibus bellis Mantinensi et Epidaurio congressos esse et alias iniurias alteris ab alteris illatas, tum etiam Thraces Atheniensium olim socios in inimicitiis perstitisse et Boeotos pace denorum dierum usos esse. Merito atque iure viri docti haeserunt, quod expeditio Siciliensis, qua et ipsa Athenienses cum Peloponnesiis dimicarunt, etiamsi ceteris omnibus rebus, quibus pax est confusa et eversa, magnitudine praecedit, non disertis verbis est memorata; neque enim quemquam spero cum Classenio esse sensurum grande hoc facinus abditum latere in illis καὶ ἐς ἄλλα ἀμφοτέροις ἁμαρτήματα ἐγένοντο, praeterquam quod expeditio Siciliensis minime eodem iure, quo bellum Mantinense et Epidaurium, ἁμάρτημα dici licebat.

Itaque Ullricus*) vir ille insigniter de Thucydide meritus eo recurrit, ut c. 25[i] p. 3[a] καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι, ἔξωθεν δὲ μετ᾽ ἀνο-

*) Beiträge zur Erklärung des Th. Appendicis pp. 153—168.

κωχῆς οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλους τὰ μάλιστα loco numerorum codicibus exhibitorum reponeret ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ τέσσαρας μῆνας: quo facto sequeretur Thucydidem dubiam pacem computasse usque ad initium expeditionis Siciliensis, eam autem ipsam bello aperto inclusisse. Sed pace viri illius acutissimi dixerim hanc coniecturam, quibuscunque artificiis ab auctore munita est, nullo pacto tolerari posse, quoniam post sex annos et quattuor menses neque Athenienses Lacedaemoniorum fines neque Lacedaemonii Atticam invaserunt, sed alteri adversus alteros in peregrina terra arma tulerunt. Quapropter quicunque post Ullricum in hanc quaestionem iucubuerunt, omnes perspexerunt indicari verbis καὶ ἐπὶ ... ἔτη καὶ .. μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι res in Graecia ipsa gestas; sed cum aut ad contionem Lacedaemone ineunte anno 414° habitam (l. VI. cc. 88° ad 93^{um} narratam) aut ad agrum Lacedaemoniorum ineunte auctumno anni 414 triginta Atheniensium navibus devastatum tempus computaverint, nihil sunt assecuti, nisi ut pars expeditionis Siciliensis pacis dubiae pars aperti belli fieret. Ergo existit quaestio, cur scriptor de ea parte, quae pacis dubiae est, plane tacuerit, et quacunque re pacem dubiam finitam esse arbitramur, cum nunquam efficiatur, ut tota expeditio Siciliensis aperto bello assignetur, confitendum est capitibus 25° et 26° eius mentionem non esse iectam: quam difficultatem cum persuasum habeam recte Cwiklinskium ita diremisse, ut expeditionem Siciliensem a Thucydide peculiari opere descriptam esse poneret, quod postea demum operi bellum Peloponnesiacum adumbranti insertum esset, spero me aliquando de coniectura illius viri docti uberius esse disserturum. Nunc sufficiat quantum potui contulisse ad decernendam illam disceptationem, quorsus dubiam pacem pertinuisse Thucydides censuerit, num qui de spatio eius enuntiato supra laudato (V 25, 3) libris exarantur numeri, sint veri, qua ratione si non sunt veri emendandi esse videantur.

Atque Struvius (de compositi operis Thucydidei temporibus pp. 25^{a} ad 27^{am}) numeros traditos esse sanos ratus, cum in computando proficiscendum sit a mense Munichione anni 421[1], quo societatem Athenienses et Lacedaemonii brevi post pacem Nicianam inter se sanxerunt, arbitratur fine mensis Antheste-

rionis anni 414^{i} primam videri denuo irruptionem esse susceptam ab alterutra parte in fines alterorum et mox etiam foedus solutum. Atqui eo tempore nil nisi contio illa VI 88—93 relata accidit, qua cum Lacedaemonii Alcibiade suadente Gylippum in Siciliam mittere et Deceleam munire decrevissent, inde ab initio anni 414^{i} iam apertum bellum a Lacedaemoniis paratum esse. Neque tamen aestate eiusdem anni id indictum fuisse ostendi l. VI. c. 105°, quippe quo capite eae Atheniensium naves triginta, quae Argivis subvenerant, dicantur manifestissime foedus solvisse. Verum cum eodem illo capite addatur iam antea id minus manifesto factum esse praedationibus a Pylo maxime institutis, coniectat vir i. d. de his potissimum praedationibus, quas inde a vere anni 414^{i} in Messenia factas esse consentaneum sit, esse cogitandum, cum legamus καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι: nam et tempus esse idem, quod eo loco indicetur, scil. initium anni 414^{i}, et Messeniam inde ab antiquis temporibus Lacedaemoniorum fuisse inter omnes constare. Huc accedere aliam rem, quae τὸν φανερὸν πόλεμον vere anni 414^{i} exarsisse testetur, Gylippi Syracus adventum (VII 1, 1), quo quasi uno ictu belli proprietatem immutatam esse et ex Siciliensi bello repente prodiisse Peloponnesiacum. Et vir i. d. quamquam ipse sentit habere aliquid miri, quod Thucydides non diserte edixerit, bellum hoc tempore esse indictum, tamen acquiescendum esse existimat, quod forsitan bellum omnino non legitime pronuntiatum sit, cum foedere ab Atheniensibus impie rupto Lacedaemonii id facere supervacaneum putarent; fortasse statum dubiae pacis gradatim in apertum bellum transductum esse. Videri enim ipsa verba V. 25. p. 3^{ae} καὶ ... ἀπέσχοντο ..· ἔπειτα μέντοι καὶ ἀναγκασθέντες λῦσαι τὰς μετὰ τὰ δέκα ἔτη σπονδὰς αὖθις ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν mirum in modum contorta atque ambigua indicare paci scriptorem nihil nisi 6 annos et 10 menses tribuere audere neque tamen id temporis spatium quod subsequatur statim bello aperto assignare, sed aliquanto demum post statuere eius initium; et quod nonnisi paulatim transitus ad apertum bellum factus sit, initium eius a Thucydide non accuratius esse definitum, quia nimis dubia et anceps fuisset rerum id aetatis

condicio, quam quae certum quoddam punctum temporis ei commendaret. — At ut omittam inquirere, quo iure Struvius Lacedaemonios in illa contione decrevisse Deceleam munire asseverarit, ut non disputem, quibus argumentis niso ei licuerit affirmare Gylippi adventu ex Siciliensi bello repente prodiisse Peloponnesiacum, ut non dicam veri esse dissimillimum bellum omnino non legitime esse pronuntiatum, siquidem l. VII. c. 18. pp. 2am et 3am reputamus, ut taceam minime esse probabile scriptorem, qui non semel c. 25° et c. 26° l. V. subtiliter pacem dubiam a bellis et Archidamico et Deceleico seiunxerit, legentes de finibus eius ambagibus quibusdam perturbasse: funditus haec explicatio destruitur ac disicitur, quod Struvius, cum recte intellexisset e verbis καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι concludendum esse sex annis et decem mensibus interiectis expeditionem (στρατείαν) ab altera parte in agrum alterorum esse susceptam, perperam cogitavit de praedationibus Messeniorum et helotarum. Nam primum de horum excursionibus nequaquam στρατεύειν verbum usurpari poterat; tum vero falsissime suspicatus est vir i. d. coepisse illos inde a vere demum anni 414i Lacedaemonios qui circa Pylum habitabant sollicitare. Nam anno 416° iam Athenienses, cum e Pylo in fines Spartiatarum irrumperent, multum praedatos esse docet l. V. c. 115um atque helotas illuc transportatos esse iam in enarrandis anni 418i rebus traditur (V 56, 3). Itaque si ex hisce praedationibus diiudicabimus, unde bellum manifesto redintegratum sit, initium eius anno 418° determinandum erit, quoniam helotae statim eo consilio translati sunt, ut Lacedaemonios rapinis et incursationibus vexarent (V 56, 3 ἐς δὲ Πύλον ἐκόμισαν τοὺς ἐκ Κρανίων εἵλωτας λῃΐζεσθαι, τὰ δ' ἄλλα ἡσύχαζον). Illum autem terminum statuere cum vetemur locis his V 48, 1. 56, 3. 77, 2. VI 10, 2. 105, quibus, quaecunque res ab Atheniensibus et Lacedaemoniis gestae sunt, tamen specie etiam compluribus annis post mansisse pacem liquet, concidunt omnes quas de hoc loco Struvius proposuit ratiocinationes.

Traditam lectionem Herbstius*) quoque tueri conatur.

---

*) Philol. 40, pp. 357—360.

Censet enim initium tertiae belli partis non contineri ulla expeditione sed sententia ab alterutra parte decreta, qua pacem ad id tempus actam iam solutam esse pronuntiaretur. Et cum computatis a societate inter Athenienses et Lacedaemonios inita sex annis et decem mensibus perveniamus ad contionem VI 88—93 relatam, vir ille doctissimus hinc bellum apertum fuisse sibi persuasit, praesertim cum VII 18, 1 Lacedaemoniis iam antea bellum renovare esse visum tradatur (ὥcπερ προεδέδοκτο αὐτοῖc) et is locus ad VI 93, 1 redeat. Sed ne quis respondeat, quod iam Ullricus (symb. ad explic. Thucyd. opus p. 162) Boehmio eandem explicationem proferenti oblocutus est, non credibile esse Thucydidem tertiam belli partem a decreto belli restituendi incipere voluisse, animos legentium ad eas res attendit, quae principio belli Archidamici praegressae sunt. Legimus enim I 87 societatem Peloponnesiorum scivisse pacem triginta annorum esse solutam (λελύcθαι), cui decreto scriptor quantum auctoritatis concedat, eo manifestari, quod accuratius annum eius designet (ἡ δὲ διαγνώμη αὕτη τῆc ἐκκληcίαc τοῦ τὰc cπονδὰc λελύcθαι ἐγένετο ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει καὶ δεκάτῳ τῶν τριακοντουτίδων cπονδῶν προκεχωρηκυιῶν, αἳ ἐγένοντο μετὰ τὰ Εὐβοϊκά). Neque tamen statim post id ipsum bellum esse gestum videmus, sed tum demum, cum per unum fere annum inter se egissent neque quicquam profecissent, arma esse capta. Ut igitur tres ut ita dicam periodi discernendae sunt, primum causae discordiarum (res Corcyraeae et Potidaeenses) tum decretum, quo pactiones ab Atheniensibus esse laesas edicebatur, dein bellum ipsum inceptum, postquam per unum fere annum per legatos inter se egerunt, sic ad bellum Deceleicum per tres quasi gradus accessisse Peloponnesios et Athenienses statuit vir i. d., qui forma enuntiati de quo disputamus significati sint. Nam primum metuisse quidem utrosque fines alterorum intrare sed praeterea alteros alteris quam maxime nocuisse (ἀπέcχοντο . . . μὴ . . cτρατεῦcαι, ἔξωθεν δὲ μετ' ἀνοκωχῆc οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλουc τὰ μάλιcτα), deinde sex annis et decem mensibus post pacem Nicianam edictum esse pactionem esse solutam (ἔπειτα μέντοι καὶ ἀναγκαcθέντεc λῦcαι τὰc μετὰ τὰ δέκα ἔτη cπονδάc), tum apertum bellum denuo esse gestum, ex quo Athenienses in fines Lacedae-

moniorum irruperunt auctumno anni 414^{i} (VI 105) et Lacedaemonii Deceleam occuparunt vere anni 413^{i} (VII 19) (αὖθις ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν). At quo haec enucleatio quasi fundamento nititur, nimirum Lacedaemonios in illa contione decrevisse pacem esse solutam bellumque redintegrandum, id quam maxime mihi videtur infitiandum esse. Nam VI 93, 1 nihil comperimus nisi Lacedaemonios, qui et ipsi bellum restituendum iam animis volvissent, multo magis fuisse propensos (πολλῷ μᾶλλον ἐπερρώσθησαν) et iam tum, si arma reciperentur, Deceleae occupationem meditatos esse, neque vero quicquam usquam audimus eos scivisse pacem esse solutam h. e. violatam ab Atheniensibus. Nam diligenter distinguendum est inter duas quae insunt in locutione λύειν τὰς σπονδάς notiones, quarum altera indicatur alterutram partem aliquam foederis condicionem laesisse et neglexisse (conferantur loci iam ab Ullrico laudati I 123, 2. 53, 2. III 54, 3. I 67, 1. 71), altera designatur foedus esse sublatum h. e. utrique parti, cum discordiae tantae essent exortae, ut componi nequirent, placuisse pactionem exinde non iam valere neque alteros cum alteris nisi armis esse congressuros (veluti I 23, 4. 5. 6. IV 16, 2. 23, 1. 46, 1. 47, 1). Atque I 87 haud dubie prior notio statuenda est, quippe quo loco Lacedaemonii postquam diu multumque cunctati et veriti sunt res ab Atheniensibus in Corcyra et ad Potidaeam gestas curare, iam primam earum rationem habuisse feruntur, quod Athenienses sociis Lacedaemoniorum iniuriam et vim intulisse decreverunt, quo tamen facto nondum decretum erat futurum esse bellum, quoniam, si Athenienses iure illud Lacedaemoniis visum esse concessissent et poenas irrogatas luere maluissent, ilico omnes dissensiones remotae essent et sublatae; quibus de rebus cum per insequentem annum egissent neque quicquam profecissent, edictum est ab utraque parte foedus triginta annorum non iam ratum esse (atque de hac pactionis solutione usurpari possit λύειν τὰς σπονδάς altera notione praeditum atque usurpatum est I 23, 4)*).

---

*) Nam male hoc loco Herbstius (Philol. vol. 40^{i} p. 359^{a}) est abusus: censet enim l. V. c. 25° et Lacedaemonios et Athenienses pacem dissolvere coactos esse, quamquam l. VI. c. 93° Lacedaemoniis solis

At qua de simili causa Lacedaemoniis licebat anno 414° pronuntiare pacem item atque anno 432° ab Atheniensibus esse

---

visum esse pacem esse solutam perhibeatur, eadem ratione dici posse, qua l. I. c. 23° Athenienses et Lacedaemonii pacem triginta annorum ferantur solvisse, etiamsi l. I. c. 87° Peloponnesios solos scivisse pacem esse solutam memoriae tradatur. At nullo pacto Thucydidis verba illa l. I. c. 23. p. 4ae ἤρξαντο δὲ αὐτοῦ Ἀθηναῖοι καὶ Πελοποννήσιοι λύσαντες τὰς τριακοντούτεις σπονδὰς αἳ αὐτοῖς ἐγένοντο μετὰ Εὐβοίας ἅλωσιν referri licet ad scitum Peloponnesiorum l. I. c. 87° memoratum; neque enim equidem assequor, quo iure scriptori, si eandem utroque loco pacis solutionem intellexisset, priore Athenienses et Lacedaemonios, altero Lacedaemonios solos eius auctores declarare licuerit, ac miror, quod Herbstius, qui tamen Thucydidis diligentiam summis laudibus efferre solet, hic profitetur eum lectores non fecisse certiores, qua ratione Athenienses pacem solvissent. Sed ut vir i. d. iam ea re, quod scriptori obscuritatem obtruderet, moneri debebat, ne pactionum λύσεις l. I. c. 23° et c. 87° relatas easdem esse crederet, sic earum diversitatem intellexisset, si attentius inspexisset, quo nexu illud enuntiatum „ἤρξαντο δὲ αὐτοῦ κτέ“ cum ceteris eiusdem capitis sententiis contineretur. Disputatum est pp. 1a ad 3am de variis calamitatibus, quibus et propter et inter bellum universa Graecia esset vexata. Quae disputatio cum conclusa sit illis ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο, quod iam sequitur ἤρξαντο δὲ αὐτοῦ Ἀθηναῖοι καὶ Πελοποννήσιοι κτέ, expectamus terminum accurate denotatum, unde Graeci calamitates modo enarratas essent perpessi: at si verbis illis λύσαντες τὰς τριακοντούτεις σπονδὰς pacis solutio capite 87° memorata esset significata, bello assignatus esset unus fere annus, per quem neque Peloponnesii neque Athenienses ulla calamitate premebantur, quin etiam alteri ad alteros commeabant legatosque mittebant. Itaque certe aptius foret, si talis pacis solutio indicaretur, quam ipsum bellum presse consecutum est. Sed largiamur id Herbstio: enuntiato tamen quod p. 5a c. 23i legitur, prohibemur de illa capitis 86i pacis solutione cogitare. Profitetur enim Thucydides se causas et discordias, propter quas Athenienses et Peloponnesii pacem solvissent, praemisisse describendo ipsi bello: hinc sequitur pacis solutionem c. 23° traditam, quandoquidem causae nunquam eventum non praecedunt, illas αἰτίας et διαφοράς consecutam itaque ponendam esse inter absolutam τῶν αἰτιῶν καὶ τῶν διαφορῶν historiam et initium veri belli. Atqui scriptor ut verbis illis: διότι δ' ἔλυσαν, τὰς αἰτίας προύγραψα πρῶτον καὶ τὰς διαφοράς pronuntiavit se primum τὰς αἰτίας καὶ τὰς διαφοράς enarraturum esse, sic dilucide denotat locum finitae τῶν αἰτιῶν καὶ διαφορῶν historiae, quod c. 146° haec scribit αἰτίαι δὲ αὗται καὶ διαφοραὶ ἐγένοντο ἀμφοτέροις πρὸ τοῦ πολέμου, quae redire ad c. 23i verba modo laudata nemo ibit infitias. Ergo post res c. 146° vel praegressis capitibus traditas pacem illam c. 23° relatam esse solutam apparet; soluta igitur est hieme

violatam (nam altera notio locutionis λύειν τὰς σπονδάς ab hoc loco abiudicanda est, quia pacem non renuntiatam esse inde patet, quod triginta illae naves dimidia fere anni parte post pactiones rupisse feruntur VI 105)? Tum quidem Athenienses certe cum sociis Lacedaemoniorum conflixerant (quamquam inquiri debebat, num vere condiciones pacis triginta annorum laesissent), Lacedaemonii autem ad id tempus plane quieverant, at per dubiam pacem utrique pariter adversus pacis Nicianae condiciones peccaverant: quod Lacedaemonii propter socios repugnantes constituta quaedam exsequi non potuerunt, Athenienses subscribunt pacis instrumento eos non in pactione mansisse et helotas Pylum transportant; qui cum praedationibus agrum Messenium vexarent, Lacedaemonii suis civibus, ut Athenienses sollicitarent latrociniis, permittunt; et sicut Athenienses Argivis, novis sociis adversus Peloponnesios, auxiliati sunt, ita ipsis Lacedaemonios arguere licebat, quod Siculis, novis sociis, ducem mitterent neque Corinthios auxilia traducere arcerent; qua ratione facile delicta utrorumque compensabantur. Quodsi Herbstio concedimus in contione VI 88—93 relata visum esse Lacedaemoniis pacem ab Atheniensibus esse solutam bellumque restituendum (id quod minime e verbis l. VI. c. 93. p. 1[ae] colligi posse supra vidimus), certe statuemus Lacedaemonios non minus, quam anno 432°, priores

---

ab auctumno a. 432[1] ad ver a. 431[1] pertinente post alteram legationem a Lacedaemoniis Athenas missam idque, id quod summi momenti est, multo post decretum illud c. 87° memoratum, quo Peloponnesii edixerant ab Atheniensibus λελύσθαι τὰς σπονδάς. Neque vero ullo pacto poterimus duplicem τῶν σπονδῶν λύσιν explanare, nisi duplicem locutionis λύειν τὰς σπονδάς vim statuerimus. At cur alterius pacis solutionis Thucydides ante l. II. c. 1[um] non diserte mentionem iniecit? Nempe quod rerum scriptoris esse putabat, ut causae atque occasiones singularum rerum explanarentur, non item ut ritus quidam, qui nihil ad res gerendas valebant, describerentur. Itaque postquam legationibus nihil effectum esse narravit, expositis autem causis comprobavit bellum statim esse exarsurum, nisi legationibus Athenienses et Peloponnesii essent compositi, iam ad ipsum bellum transire poterat, quandoquidem sperabat homines Graecos morum nationis suae gnaros ultro scituros esse ante inceptum bellum missis praeconibus vel alium in sollemnem modum pacem esse renuntiatam; hunc autem ritum describere taedebat scriptorem „semper sibi instantem“.

bellum movisse neque Herbstium*) aliter sensisse apertissime inde patet, quod Athenienses idcirco agrum Lacedaemoniorum auctumno anni 414^{i} devastasse suspicatur, quod aestate eius anni de Lacedaemoniorum illo decreto certiores essent facti. Atqui VII 18, 3 Lacedaemonii ea potissimum de causa propensi et alacres ad bellandum fuisse perhibentur, quod Athenienses depopulationibus triginta navibus patratis priores pactionem rupissent: sed quo tandem modo hac fiducia niti poterant, si ipsi iam sex fere mensibus ante pactionem esse solutam et denuo bellandum sciverant? Neque contradici licebit Lacedaemonios decretum illud non pro redintegrato bello habuisse, quia, cum Athenienses haud dubie pacis condiciones quasdam neglexissent, nihil nisi poenam exigere voluissent; nam ipsos minime culpa vacasse modo ostendi, ut facile delicta utrorumque compensarentur, et e VII 18, 3 discimus religiosissimos et cautissimos fuisse Lacedaemonios, quia res bello Archidamico ideo male sibi successisse sibi persuaserant, quod bellum nimis vehementer arripuissent neque sicuti in pactione triginta annorum praescriptum erat, discordias arbitris mandare voluissent componendas. Veri igitur simillimum est eos quoquo modo cavisse, ne iterum priores bellum excitasse viderentur, id quod certe fecissent, si cum Herbstio illi conventui placuisse pacem esse solutam poneremus. Nam cum utrique exacerbatis adversus alteros animis uterentur, apparebat illa quidem aetate statim bellum esse exarsurum, ubi primum aut Athenienses aut Lacedaemonii aperte essent professi pactionem esse neglectam poenamque irrogare voluissent. — Sed aliud etiam accedit argumentum. Etenim Thucydides si vere illam contionem initium tertiae belli partis duxisset, plane aliter enuntiatum illud (V 25, 3) conformandum erat; neque enim solum per sex annos et decem menses sed minimum septem annos et fere dimidium fines alterorum ipsos intrare metuerunt, quandoquidem VI 105, 2 diserte memoratur Athenienses, quotiescunque antea ab Argivis sint moniti, semper tamen agro Laconico abstinuisse ac tum primum invasisse; haec igitur expeditio ex Herbstii enucleatione accidit, postquam Lacedaemonii pacem

*) Philol. 40 p. 359.

esse solutam edixerunt. Atqui Herbstius censet id decretum Lacedaemoniorum anno 414° ineunte factum indicari V 25, 3 verbis ἀναγκασθέντες λῦσαι τὰς μετὰ τὰ δέκα ἔτη σπονδάς, quae inveniuntur in enuntiato particula ἔπειτα adnexo. Apparet igitur et solutas esse τὰς σπονδάς et aperte bellum renovatum, postquam praeteriit tempus, per quod et Athenienses et Lacedaemonii ab incursionibus in terram adversariorum temperaverunt, ergo postquam expeditio ab alterutra parte suscepta est; quam vero contortum ne dicam absurdum est, quod Thucydides enuntiatum καὶ ἀπέσχοντο κτέ sic pronuntiat, ut auctumnum fere anni 414^{i} aut ver anni 413^{i} intellegi putemus, enuntiatum autem insequens particula ἔπειτα adnectit et tamen legentes ad ver anni 414^{i} revocat! — Denique nequaquam scriptor voce ἀναγκασθέντες (λῦσαι τὰς μετὰ τὰ δέκα ἔτη σπονδάς) uti debebat de illo scito Lacedaemoniorum. Neque enim usquam dispicitur causa, qua Lacedaemonii tum sint coacti pacem esse solutam profiteri, quandoquidem eodem modo Athenienses iam compluribus annis ante pacem neglexerant neque tum quidem quicquam usu venerat, cur magis ad bellum impellerentur. Nam ne cum Herbstio sentiamus scriptorem ideo Lacedaemonios ἀναγκασθῆναι τὰς μετὰ τὰ δέκα ἔτη σπονδὰς λῦσαι dixisse, quod ab Alcibiade et legatis Syracusanorum, ut bellum restituerent, sint admoniti, quam maxime prohibemur ipsa notione vocis ἀναγκασθῆναι, qua eiusmodi inter Athenienses et Lacedaemonios res intercidisse efficitur, ut pax non servari neque bellum evitari posset; sed cum Lacedaemoniis liceret adhortationibus illorum vel obsequi vel eas repudiare, non licebat scriptori de hoc voluntario decreto notionem ἀναγκασθῆναι usurpare. Verum si quis dixerit non fuisse quidem illo tempore peculiarem ullam causam, sed Lacedaemonios, quia non dubitabant, quin aliquando bellum exarsurum sit, pacem solvisse arrepta occasione, cum a Siculis orarentur, is statuet eos non aliter quam Archidamicum bellum iam Deceleicum quoque excitasse, id quod cum VII 18, 3 non convenire supra ostendimus. Adde quod l. V. c. 25° ἀναγκασθέντες vox ne de solis quidem Lacedaemoniis usurpata est, sed et Athenienses et Lacedaemonii coacti esse dicuntur pacem dissolvere. At quo tandem modo scriptori licebat illam notionem, quam vel in

Lacedaemonios male quadrare modo comprobari, etiam in Athenienses transferre? Herbstius censet, quod altero loco utrique, altero Lacedaemonii soli feruntur coacti esse, id non magis curandum esse, quam quod l. I. c. 23° et Athenienses et Lacedaemonii pacem solvisse, l. I. c. 87° Lacedaemonii soli pacem esse solutam edixisse perhibentur. Sed excusationem ex hisce locis repetitam Herbstio eripui, quod supra (adnotatione ad p. 76) demonstravi duabus notionibus, quae in illo λύειν τὰc cπονδάc latent, non perspectis eum falso l. I. c. 23^{um} ad l. I. c. 87^{um} rettulisse. Nostris vero locis, praeterquam quod scriptori indiligentia haud toleranda imputatur, quippe qui lectores de rebus ab Atheniensibus decretis celasse arguatur, ea explanandi ratio concidit, quoniam, ut supra exposui, quam maxime infitiandum est Lacedaemonios contione illa l. VI. cc. 87° ad 93^{um} relata scivisse pacem esse solutam, ergo ne Athenienses quidem hoc decreto adduci poterant, ut et ipsi pacem solverent. Immo non dubium mihi videtur, quin hoc modo Peloponnesii et Athenienses denuo ad apertum bellum processerint. Utraeque civitates inter pacem condiciones quasdam pactionis neglexerant et persuasum habebant bellum aliquando esse denuo exoriturum; atque Athenienses quidem sperabant facile sese Sicilia expugnata a Peloponnesiis defensum iri, Lacedaemonii autem, cum et ipsi de bello redintegrando cogitavissent, ab Alcibiade et Syracusanis excitati et de infirmitate Atheniensium admoniti multo etiam magis erant propensi (VI 93, 1 ἔτι μᾶλλον ἐπερρώcθηcαν) et, si arma reciperentur, iam Deceleam occupandam animis volvebant. Et tamen quoniam res bello Archidamico sibi male cecidisse arbitrabantur, quod priores pactiones esse solutas pronuntiavissent et arbitria ab Atheniensibus oblata sprevissent, verentur priores Atheniensibus bellum indicere expectantes, dum quid accidisset, quo apertius pacis condiciones ei violarent. Quod cum incursione triginta navium evenisset, concludemus Lacedaemonios ut erant religiosissimi primum ad eos de luendo hoc delicto misisse legatos et arbitria postulasse, ut omnibus pacis condicionibus satisfieret (cftr. VII 18, 3 ἐc δίκαc προκαλουμένων τῶν Λακεδαιμονίων οὐκ ἤθελον ἐπιτρέπειν [sc. οἱ Ἀθηναῖοι]); sed postquam nihil impetrarunt, sine dubio intra hiemem inde ab auctumno anni 414^{i} ad ver anni 413^{i}

pertinentem pax renuntiata est (igitur post incursionem triginta navium) et ubi primum tempestas bellando opportuna obvenit, vere statim anni 413^{i} bellum aperte redintegratum.

Nuperrime Jerusalem in „studiorum Vindobonensium“ vol. III. (pp. 287 sqq.) et ipse numeros codicibus exhibitos conatus est explicare ita ab omnibus ceteris viris doctis recedens, ut non societatem inter Athenienses et Lacedaemonios sancitam pro termino haberet, a quo computationem exordiretur, sed hiemis insequentis (ab auctumno anni 421^{i} ad ver a. 420^{i} pertinentis) initium. Lubricum enim futurum fuisse, si scriptor a societate in emetiendo pacis spatio profectus esset; nam cum eius tempus allato archontis tantum nomine definitum esset (V 25, 1), non esse dubium, quin, si quis rationem sex annorum et decem mensum instituisset, eum modum secutus, quem Thucydides V 20 non esse accuratum declaravit, ex archontum ordine principium aperti belli constituturus fuerit. Et cum inde ab archonte Alcaeo sextus fuerit archon Euphemus (qui a media a. 417^{i} aestate ad mediam a. 416^{i} aestatem munere functus est), initium aperti belli decem mensibus post, exeunte magistratu archontis Arimnesti (media aestate anni 415^{i}), eodem fere tempore, quo classis Atheniensium in Siciliam vela fecit, ponendum fuisse. Itaque vir i. d., quippe quod persuasum habeat dubiam pacem mansisse usque ad depopulationem triginta Atheniensium navibus effectam et tamen traditos numeros veros esse censeat, alium terminum initii sibi quaerit atque ex constanti Thucydidis usu expectat etiam hanc rationem per aestates et hiemes institutam, quae expectatio confirmari ei videtur illis, quae ineunte capite 35° leguntur. Fuere enim per totam aestatem anni 421^{i} inter Athenienses et Lacedaemonios commeatus (ἐπιμιξίαι), etsi iam brevi post factas pacem societatemque suspicionibus utrique agitabantur, a principio autem proximae hiemis impulsu ephororum pacis et societatis condiciones neglegebantur et laedebantur. Statuit igitur vir i. d. per aestatem anni 421^{i} fuisse veram pacem, inde autem ab auctumno eiusdem anni eam factam esse dubiam, atque cum scriptor V 25, 3 spatium dubiae tantum pacis prolaturus sit, censet computandum esse non a societate sed ab incipiente insequenti hieme. Et vero hinc profecti sex annis et decem

mensibus post ad vergentem aestatem anni 414[i] pervenimus, quo tempore triginta illae naves in fines Lacedaemoniorum irruperunt. — At primum mihi omnes difficultates quae obstent, ne a societate rationem ineamus, nullae videntur esse. Nam priore quaestione puto me evicisse Thucydidem tempora ex sole definire solitum esse ita, ut praecipue aestates et hiemes ex eius cursu determinaret; atque ipsius libri quinti c. 20° exposuit scriptor, cur tali ratione uti maluisset quam quae adhiberi soleret, ut res ex archontum nominibus referrentur, et demonstravit, quantum ratio per aestates et hiemes res gestas narrandi valeat ad verum tempus definiendum et spatia recte emetienda: nam bellum Archidamicum pro aestatibus et hiemibus decem annos duravit, quod idem tempus prodit intervallo inter diem incursionis Plataeensis et pacis Nicianae accurate perpenso. Quantam igitur stultitiam Jerusalem legentibus obtrudit, quod opinatur eos, postquam paucis capitibus ante de recta temporum definitionis via edocti sunt eaque spatio belli Archidamici constituto illustrata et ratio pro archontibus computandi ut perversa proscripta est, tamen paulo post ad eandem perversitatem esse redituros! — Tum vero haec enucleatio repudianda videtur esse, quod cum totius belli divisione non convenit. Nam vir i. d. cum aestatem anni 421[i], per quam pax sincera fuisset, discreverit a reliquo pacis tempore, quam pacem dubiam existimat, totius belli non tres sed quattuor partes distinguit, quoniam bellum Archidamicum consequitur sincera pax, sinceram pacem dubia, hanc denique bellum Deceleicum. Atqui capitibus 25° et 26° l. V. scriptor comprobaturus est se iure viginti septem illos annos inde ab incursione Plataeensi ad expugnatas Athenas pro uno bello habuisse, quia vere nunquam bellum esse desiit: ergo hoc consilium ipse evertisset, si vel per anni dimidiam partem Athenienses et Lacedaemonios pace sincera esse usos concessisset; nam tum quidem vere disiuncta essent bella Archidamicum et Deceleicum, id quod non accidit, si statim ab initio talem fuisse condicionem civitatum paciscentium erat demonstratum, ut futurum esse aliquando bellum conici posset. Atque scriptor id eodem capite 35°, e quo Jerusalem opinionem suam deprompsit, comprobavit: nam cum per historiam totius

aestatis a. 421[i] tantummodo memoriae prodidisset, quae Corinthii et Argivi adversus Lacedaemonios essent moliti, descriptionem eius non prius absolvit, quam Athenienses et Lacedaemonii statim post pacem suspiciones concepisse rettulisset, ne quis inter eos fuisse pacem sinceram suspicetur et miretur, quod hanc aestatem scriptor bello assignaverit. — Porro paragrapho altera capitis 26[i] tempus medium illud iure bellum potius haberi quam pacem inde concludit, quod primum civitates neque omnia reddidissent neque recepissent: verum hae ipsae res capite 35° neque usquam fere alibi memorantur (attinguntur tantummodo cc. 39° et 42° l. V): qui autem poterat Thucydides id loco primi argumenti afferre, ut pacem fuisse potius bellum existumandum evinceret, et tamen, dum de reddendis oppidis agebatur et iam suspiciones oriebantur, sincerae pacis spatium a dubia pace sepositum statuere? Immo quoniam prima quasi semina omnium ceterorum delictorum in ea re posita erant, quod, cum utraque civitatum condiciones pacis non diligenter observaret, statim ira excitabatur, sumeremus Thucydidem conexum rerum non perspexisse, si hunc tanquam primum ad inimicitias gradum seiunxisset a ceteris qui eum consecuti sunt. — Denique scriptor capitibus 25° et 26° non uno loco tres tantum universi belli periodos designat neque usquam de duabus pacis partibus loquitur; conferatur V 26, 2 καὶ τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν εἴ τις μὴ ἀξιώσει πόλεμον νομίζειν οὐκ ὀρθῶς δικαιώσει et V 26, 6 τὴν οὖν μετὰ τὰ δέκα ἔτη διαφοράν τε καὶ ξύγχυσιν τῶν σπονδῶν καὶ τὰ ἔπειτα ὡς ἐπολεμήθη ἐξηγήσομαι dilucidis verbis declaratur bellum decem annorum protenus exceptum esse pace dubia. Neque quicquam inde effici licet, quod et ineunte c. 35° et exeunte fuisse ἐπιμιξίας vel ἡσυχίαν καὶ ἐφόδους παρ' ἀλλήλους memoratur: nam Thucydides idcirco hoc nobiscum communicat, quod haud dubie statim post pacem factam frequentissimi inter Athenienses et Lacedaemonios erant commeatus, nec tamen sequitur ab insequenti hieme, ex quo ephori adversus Athenienses agere coeperant, commercia omnino sublata fuisse, sed elucet, ubi primum animi utrorumque exacerbati sunt facti, magis veritos esse alteros ad alteros commeare, atque postquam utrique maiora delicta commiserunt quin etiam armis conflixerunt, non

dubium est, quin nulla iam fuerit consuetudo, etsi nomine ac rite tum demum commeatus tolleretur, cum pactiones renuntiarentur. Itaque scriptor, cum 35, 2 memorat καὶ τὸ θέρος τοῦτο πᾶν ἐπιμιξίαι ἦσαν τοῖς Ἀθηναίοις καὶ Πελοποννησίοις, denotat specie pacem sinceram esse, insequenti autem expositione in animis legentium suspicionem iam futuri belli movet. — Quae cum ita sint, iure nostro bellum Archidamicum ilico pace dubia exceptum esse arbitrabimur eiusque initium, quoniam ineunte c. 25° (μετὰ δὲ τὰς σπονδὰς καὶ τὴν ξυμμαχίαν τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τῶν Ἀθηναίων), unde historia secundae belli partis incipit, diserte societas paci Nicianae adiuncta et bello decem annorum adscripta est, a societate inter Athenienses et Lacedaemonios facta repetemus. Atqui Boeckhius computatione effecit pacem Nicianam iuramentis confirmatam esse decimo fere die m. Aprilis (d. 24° m. Elaphebolionis); rebus autem inter pacem Nicianam et societatem gestis spatium valde amplum concesserimus, si praeteriisse unum fere mensem statuerimus: ergo proficiscemur ab ineunte mense Maio anni 421[i].

Iam quia omnibus eis interpretationibus, quibus numeri traditi servarentur, difficultates sat magnas officere nobis persuasimus, restat, ut circumspiciamus, quo modo locus videatur emendandus esse, et quod Ullrici coniectura supra refutata est, de Kruegeri sola emendatione, cui vindex acutissimus extitit Cwiklinskius*), erit disputandum**). Atque vir i. d. cum recte computationem ineundam esse ex societate (V 23) sentiat neque constet ante illam depopulationem (VI 105) alterutram civitatem agrum alterorum attigisse, intervallum autem inter has res septem annos et quattuor vel quinque menses expleat, mutatione satis audaci pro traditis numeris reposuit Z ἔτη καὶ δ μῆνας. Et quamquam haud ignorat verbis ἔπειτα μέντοι . . . ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν nisi incursionem VII 19 traditam significari nihil potuisse, tamen in instituenda illa ratione, quae enuntiato antecedenti exhibetur, tantummodo ad expeditionem VI 105 narratam procedendum esse ideo sibi

*) Hermes, vol. XII. p. 36—50.

**) Nam de Muelleri-Struebingi coniectura disquisitionum Thucydidearum pp. 76[a] ad 80[am] prolata supersedere mihi licet, quippe quae a Jerusalemo l. l. p. 288 argumentis sat idoneis refutata sit.

persuasit, quod auctoritate Ullrici nisus arbitratur particulis ἔπειτα μέντοι (ἔπειτα μέντοι καὶ ἀναγκασθέντες λῦσαι . . . ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν) non adnecti res, quae statim post eventus praegressa enuntiatione relatos acciderint, sed intercessisse inter illud tempus, quo alterutra civitas desierit abstinere agro alterorum, et quo bellum aperte sit redintegratum, aliquam moram. At primum etiam haec coniectura erit abicienda, quod usui particulae ἔπειτα repugnat. Nam cum duae res ita se consecutae esse narrantur, ut altera per spatium aliquod duraret, tum (ἔπειτα) altera accideret, videmus priorem intervallo non interiecto altera excipi, velut, ut exempla luculentissima promam, non dubium est quin III 24, 2 καὶ ἐπὶ μὲν ἓξ ἢ ἑπτὰ σταδίους οἱ Πλαταιῆς τὴν ἐπὶ τῶν Θηβῶν ἐχώρησαν, ἔπειθ' ὑποστρέψαντες ἦσαν τὴν πρὸς τὸ ὄρος φέρουσαν ὁδὸν ἐς Ἐρυθρὰς καὶ Ὑσιάς — non dubium est, quin emensi sex vel septem stadia statim aliam viam ingressi nec multum sint vagati, neque minus elucet IV 54, 2 καὶ μάχης γενομένης ὀλίγον μέν τινα χρόνον ὑπέστησαν οἱ Κυθήριοι, ἔπειτα τραπόμενοι κατέφυγον ἐς τὴν ἄνω πόλιν Cytherios, statim postquam paululum temporis restiterunt atque intellexerunt se diutius resistere non posse, in urbem superiorem se recepisse: id quod ceteris quoque locis iam ab Ullrico laudatis omnibus facile comprobabitur; conferantur II 4, 2. IV 124, 4. V 7, 1. VII 40, 4. 78, 7. 79, 6. 87, 3. VIII 95, 5. Neque contra dici poterit, ubi ἔπειτα μέντοι reperiatur, semper aliquod spatium interesse inter utramque rem: nam omnes praeter unum loci sic a nostro differunt, quod in priore enuntiato non spatium quoddam indicatur, quo expleto altera res usu venit, sed solet particulis τὸ μὲν πρῶτον vel πρῶτα μέν et ἔπειτα μέντοι primum initium processui eiusdem rei vel expeditionis opponi (conferantur III 93, 1. 111, 3. VIII 75. 86, 2. 39, 1). Unus autem ille locus, quo particulis ἔπειτα μέντοι non praecessit locutio πρῶτα μέν, ita comparatus est, ut et ipse rationem nunc propositam comprobans duas res alteram altera exceptam commemoret; nam IV 135 παρελθὼν γὰρ νυκτὸς καὶ κλίμακα προσθεὶς μέχρι μὲν τούτου ἔλαθε . . . ἔπειτα μέντοι εὐθὺς αἰσθομένων πρὶν προσβῆναι ἀνήγαγε πάλιν κατὰ τάχος τὴν στρατείαν apparet Brasidam statim, postquam hostes impetum

nocturnum animadverterunt, exercitum retro duxisse. — Adde quod hac emendatione universo loco ambiguitas quaedam haud toleranda admovetur. Nam cum duobus membris καὶ ... ἀπέσχοντο μὴ ... στρατεῦσαι, ἔξωθεν δὲ μετ' ἀνοκωχῆς οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλους τὰ μάλιστα natura dubiae pacis describatur, apparet propter numeros in ipso priore membro allatos eam durasse ad auctumnum anni 414[i]; apertum autem bellum, quod insequenti enuntiato refertur, initium habuisse existimat Cwiklinskius a vere demum a. 413[i]. Hiems igitur ab auctumno a. 414[i] ad ver a. 413[i] pertinens, quia neque dubiae paci neque aperto bello assignata est, plane e serie aestatum hiemumque excidit vel nova ut ita dicam periodus ducenda est, ita ut bellum Archidamicum consequatur dubia pax, hanc excipiat ambiguus inter dubiam pacem et apertum bellum status, denique prodeat bellum Deceleicum. Vides quanta artificia ex hac explicatione Thucydidi imputentur! Cwiklinskius sane id consulto a scriptore sic institutum esse censet, quia, cum cc. 25° et 26° demonstraturus esset unum tantummodo bellum esse viginti septem annorum et pacem quoque proprie bellum fuisse, ei consilio obfuisset, si nimis perspicue illud tempus definivisset, quo ex clandestino bello evasit apertum; interfuisse enim scriptoris, ut legentes quasi inopinantes ad tertiam belli partem per ambiguum illum statum transduceret. Sed mihi videtur prorsus a Thucydidis ingenio abhorrere talis explanatio, qua scriptor hic fidelissimus et diligentissimus legentes quodammodo de vera rerum condicione decepisse et celasse putandus est. Quam id non intenderit, testantur V 26, 2 καὶ τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν et V 26, 6 τὴν οὖν μετὰ τὰ δέκα ἔτη διαφοράν τε καὶ ξύγχυσιν τῶν σπονδῶν καὶ τὰ ἔπειτα ὡς ἐπολεμήθη ἐξηγήσομαι, quibus locis manifestissime pacem discernit a bellis et anteriore et posteriore, testantur illi loci, ubi in historia ipsius dubiae pacis non semel legentes commonefacit, nomine pacem esse, testatur quam maxime caput illud 18[um] l. VII., quo, cum fusius disserit, quibus causis Lacedaemonii ad redintegrandum bellum sint inducti, dilucide denotat novam eamque gravissimam totius belli partem incipere. Ipsum igitur initii locum si tantopere extulit, qua tandem causa permoveri poterat, ut finem dubiae pacis V 25 celaret vel obscuraret, praesertim

cum minime veritus sit bellum Archidamicum aperte separare idque indiciis tam perspicuis, ut Herbstius eiusque sectatores sibi persuaserint eam partem, etsi ad totum bellum pertineat, tamen quasi sui iuris esse factam et descriptam..

Immo ex ea ipsa causa, quod bis in c. 26° tres belli periodi subtiliter discretae sunt, efficiendum mihi videtur esse praecessisse accuratam definitionem dubiae pacis, quam bellum Deceleicum sit secutum. Quam ut viri docti adhuc in verbis traditis invenire non possent, inde potissimum factum est, quod enuntiatum illud καὶ . . . ἀπέσχοντο . . . μὴ στρατεῦσαι quo nexu cum ceteris sententiis contineatur, non satis respexerunt. Facile enim cum solum illud „per annos quosdam agro ipso adversariorum abstinuerunt“ legimus, commovemur, ut de incursione illa triginta navium cogitemus, qua prima (VI 105, 2) Athenienses manifestissime pacem rupisse feruntur et agrum ipsum Spartiatarum videntur attigisse, sed ne in hac sententia persistamus, iam ea re monemur, quod pari iure statui licet Athenienses etiam praedationibus a Pylo institutis agrum Lacedaemoniorum invasisse; nam ager Messenius ex quo tempore Spartiatis erat distributus, instar possessionis Laconicae erat; V 115, 2 autem scriptor refert καὶ οἱ ἐκ τῆς Πύλου Ἀθηναῖοι Λακεδαιμονίων πολλὴν λείαν ἔλαβον et VII 18, 3 ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἀθηναῖοι ταῖς τριάκοντα ναυσὶν ἐξ Ἄργους ὁρμώμενοι Ἐπιδαύρου τέ τι καὶ Πρασιῶν καὶ ἄλλα ἐδήωσαν καὶ ἐκ Πύλου ἅμα ἐλήστευον κτέ incursiones triginta navium et incursiones a Pylo susceptae causae quasi eiusdem generis habentur; neque VI 105 verbis πρότερον μὲν γὰρ ληστείαις ἐκ Πύλου καὶ περὶ τὴν ἄλλην Πελοπόννησον μᾶλλον ἢ ἐς τὴν Λακωνικὴν ἀποβαίνοντες μετά τε Ἀργείων καὶ Μαντινέων ξυνεπολέμουν negatur Pylenses agrum Laconicum incurrisse; nam quoniam reliquam Peloponnesum magis quam Laconicam lacessivisse dicuntur, apparet eos ne Laconica quidem plane abstinuisse et quod naves triginta, cum agrum Spartiatarum invaderent, manifestissime pacem rupisse feruntur, elucet iam antea eam quamquam minus manifesto esse laesam, quibus in rebus item atque VII 18 etiam VI 105 rapinae helotarum proferuntur. Itaque cum iam ante incursionem triginta navium Athenienses agrum Lacedaemoniorum attigerint, alius isque prior finis dubiae pacis

erit statuendus, si ex hoc iudicio loci explanatio pendet. At quominus incursiones e Pylo factas finem dubiae pacis esse habitas censeamus, impedit quod Thucydides V 25 usurpavit nationem στρατεύειν (καὶ . . . ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι); nam praedationes nullo pacto nomine στρατειῶν significari debebant, quod idem cadit in depopulationes triginta navium. Nam cum verba καὶ . . . ἀπέσχοντο . . . μὴ στρατεῦσαι opponantur insequenti enuntiato ἔξωθεν δὲ μετ' ἀνοκωχῆς οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλους τὰ μάλιστα, hoc autem membro omnes illae pacis Nicianae violationes significentur (bellum Mantinense, Epidaurium, ceterae minoris momenti res), apparet vim aliquam tribuendam esse notioni στρατεύειν: verebatur igitur per quosdam annos utraque civitatum copiis sicut in bello fit coactis et populiscito dimissis cum exercitu terrae ipsi alterorum bellum inferre, sed aliis multis rebus quam plurimum alteri alteris nocebant. Vides summo iure incursiones e Pylo susceptas in eis rebus latere, quibus alteri ab alteris damno sint affecti, quoniam, etsi in agrum Lacedaemoniorum fiebant, tamen non exercitu Atheniensium sunt effectae sed helotis et Messeniis non ita multis; eodem vero iure includetur depopulatio quoque VI 105 tradita. Nam ex verbis (VI 105, 1) καὶ Ἀθηναῖοι Ἀργείοις τριάκοντα ναυσὶν ἐβοήθησαν, αἵπερ τὰς σπονδὰς φανερώτατα τὰς πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους αὐτοῖς ἔλυσαν apparere videtur missas esse naves, ut Argivis auxilio adessent, praetores autem belli ardore incensos precibus Argivorum incitatos suo Marte fines Lacedaemoniorum invasisse et, quamquam id quidem non iussi erant, hoc sibi concessisse, quia confidebant, cum cives sui infesto in Peloponnesios animo essent, se eorum iram non esse moturos. Sed utut haec res se habet, sive publica auctoritate suscepta est sive voluntate et libidine strategorum, liquet eas depopulationes fortuito effectas non fuisse tantas, ut Athenienses recte dici possent terrae Lacedaemoniorum bellum intulisse. Quo accedit, quod omnes qui adhuc nostro loco vel interpretando vel emendando operam dederunt, notionem vocis ἑκατέρων (ἀπέσχοντο . . . μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι) neglegere debuerunt. Quae tamen cum apud Thucydidem semper congruat cum latina voce uterque, sequitur principium belli

Deceleici id tempus ducendum esse, ex quo in utrorumque terram expeditiones sunt susceptae; recte autem iam Stahlius eis, qui depopulationem triginta navium pro termino habuerunt, oblocutus est „non in utrorumque terram incursionem esse factam sed in solam Peloponnesum ab Atheniensibus". — Verum nomine στρατείας sola haud dubie nuncupari potest incursio a Lacedaemoniis vere anni 413[1] facta, quae propterea quoque mirum in modum cum nostro loco concinit, quod statim post eam Athenienses triginta naves duce Charicle miserunt, quae Peloponnesi regiones ferro ignique vexarent, et Demostheni imperarunt, ut in Siciliam 65 navibus traiecturus, cum Laconicen praeterveheretur, Chariclem adiuvaret (VII 20). Accidit autem expeditio Lacedaemoniorum non sex annis et decem mensibus post societatem sed quoniam, id quod priore quaestione demonstravi, incursio facta est ineunte mense Martio, intermissis septem annis et decem mensibus (inde ab exeunte mense Aprili vel ineunte mense Maio anni 421[1] ad ineuntem mensem Martium a. 413[1]). Atque quandoquidem numeri septem nota ζ facile commutatur numeri sex nota ς itaque emendatio satis probabilis est, non dubito hanc scripturam ponere καὶ ἐπὶ ἑπτὰ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι. Septem igitur annos et decem menses et Athenienses et Lacedaemonii verebantur terrae hostium ipsi bellum inferre sed aliis multis nocuere; tum vero (vel exeunte decimo mense vel ineunte undecimo mense), cum coacti essent pacem, quae nomine tantum fuerat, etiam revera (καὶ ἀναγκασθέντες) dissolvere rursus apertum bellum habebant inde ab expeditione a Lacedaemoniis in fines Atheniensium suscepta et navibus ab Atheniensibus in Peloponnesum dimissis. Neque haerendum est, quod altero membro commemoratur res, quae spatio priore membro indicato tribuenda est (quia enim illud κατέστησαν ἐς πόλεμον φανερόν statim consequitur eam aetatem, qua expeditionibus in terram adversariorum effectis abstinuerunt, apparet renuntiatam esse pacem exeunte dubia pace); nam plane geminum exemplum invenitur VII 79, 6 καὶ ἐπὶ πολὺ μὲν τοιούτῳ τρόπῳ ἀντεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι, ἔπειτα προελθόντες πέντε ἢ ἓξ σταδίους ἀνεπαύσαντο ἐν τῷ πεδίῳ.

Excursus ad quaestionem I.

(Cftr. p. 37.)

Quod supra promisi me expositurum esse, quibus rationibus, ut Ullrici sententiam de compositi operis Thucydidei tempore quamvis acriter impugnatam veram esse existimem, adducar: id iam quam possim brevissime exsequar.

Atque quinque loci mihi ita videntur comparati esse, ut recte intellegi nequeant nisi ad unum bellum Archidamicum referantur. Nam primum quod Thucydides l. II. c. 54. pp. 2ª et 3ª, postquam pestilentia Athenienses urguente seniores recordatos esse illud oraculum ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ et quamquam fuissent, qui rectius cani . . . λιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ contenderent, praevaluisse tamen narravit eos, qui ad pestilentiam non ad famem spectare vaticinium asseverarent — quod igitur his narratis Thucydides addit ἦν δέ γε οἶμαί ποτε ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωριακὸς τοῦδε ὕστερος καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμόν, κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται, talem suspicionem tum tantummodo scriptori proferre licebat, cum famem, quae exeunte bello Deceleico fuit, nondum cognitam haberet. Perperam enim Herbstius*), qui Classeni**) sententiae vindex acutissimus extitit, arbitratus est non posse illud vaticinium ad famem, quae belli Deceleici aetate in Athenienses ingruerat referri, quia haec ipso bello effecta sit, vaticinium autem praedicat atque scriptor intellegat famem ab Apolline deo missam: id quod primum ex notione ξυμβαίνειν apparere, quippe quae a Thucydide usurpata sit de eis rebus, quae casu acciderint, non e ceterarum rerum condicione necessario prodierint, tum inde patere, quod Thucydides et hoc vaticinium et illud oraculum, quo Apollo pollicitus erat Lacedaemoniis alacriter bellaturis victoriam esse futuram seque ipsum auxiliaturum, explanaverit verbis περὶ μὲν οὖν τοῦ χρηστηρίου τὰ γιγνόμενα ἤκαζον ὁμοῖα εἶναι· ἐσβεβληκότων δὲ τῶν Πελοποννησίων ἡ νόσος ἤρξατο εὐθύς. Nam ut Meyer***) iam docuit ξυμβαίνειν

*) Philologi vol. 38, pp. 517 et 518.

**) Praef. ad l. I. p. XXVII ed. tertiae.

***) Quibus temporibus Thucydides historiae suae partes conscripserit p. 8.

vocis notionem ab Herbstio argutius esse definitam quam verius, sic alterum argumentum est caducum; coniunxit enim vir i. d. haec duo oracula et ex altero Apollinis mentionem priori intulit, cum scriptor ea subtiliter separaverit: etenim quod c. 54[i] p. 5[a] περὶ τοῦ χρηστηρίου non περὶ τῶν χρηστηρίων dicit homines quae fiebant similia esse tunc existumasse, liquet eos auxilium Apollinis interpretatos esse pestilentiam, quandoquidem ex Homeri Iliade Apollinem huius morbi auctorem esse constabat, et victoriam promissam intellexisse occupatum Atheniensium agrum. Alterum igitur solum oraculum qua ratione tunc intellectum sit, scriptor memorat: at cum illo ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ vel λιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ Apollini ne minima quidem res est, et cum reputamus, quanta ambiguitas in oraculis latere solita sit, quantis artificiis vaticinia intellecta sint, mihi non videtur dubium esse, quin homines, cum alterum bellum Doriense, Deceleicum, exarsisset et fames obvenisset, adhibuerint alteram versus formam ἥξει Λωριακὸς πόλεμος καὶ λιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ. Sed ut hoc vaticinium tum non fuerit usitatum, Thucydidem quidem, qui ambages oraculorum sine dubio perspectas habebat et his ipsis exemplis demonstraturus erat, quam facile vaticinia de propria mente detorqueri possent, fugere nequibat, quam apte illud ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ in bellum Deceleicum quadraret. Atque si vere homines tum sic cantaverant, id quod mihi quidem satis probabile est, debebat certe scriptor id commemorare, quippe quod praeclarissime consilio eius subvenisset, ex quo vaticiniorum auctoritatem labefactaturus erat; sin autem id non cantarant, tamen facillime talibus vaticiniis fidem dempsisset scriptor monens eodem iure, quo tum λοιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ, dici potuisse exeunte bello Deceleica λιμὸς ἅμ᾽ αὐτῷ (persuasum autem habeo Herbstium*), si tale quid traditum esset, minime Thucydidi opprobrio esse versurum, quod vim praepositionis ἅμα neglexerit, quoniam nono demum belli anno non una cum eo fames obvenisset, sed eo refugiturum esse, ut in interpretandis oraculis talem licentiam esse permissam profiteretur); neque vero ullo pacto scriptor, si totum bellum iam cogno-

*) Cftr. Philologus, vol. 38, p. 518.

visset, paucis annis post famem ita loqui debebat, ut complura bella Doriensia et alteram famem, de qua illud ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λιμὸς ἅμ' αὐτῷ usurpari posset, plane ignorare videretur.

Deinde quod Thucydides in historia tertii anni tradidit Atheniensium terrorem, cum Peloponnesii subitσ ad Salamina insulam classem appulissent et periculum esset, ne in Piraeum invecti Athenas ipsas aggrederentur, non minorem fuisse quam ullum ex ceteris terroribus, quibus Athenienses per bellum afflictati sint, h. e. longe maximum fuisse (II 94, 1), id adversa fronte pugnat cum l. VIII. c. 96. p. 1ª, quo loco edocemur illum terrorem, quem Athenienses ex nuntio expugnatae Euboeae concepissent, fuisse longe maximum ex omnibus, quibus ad id tempus ei percussi sint: neque enim calamitatem Siciliensem, quamquam magna esse tum visa esset, neque aliud quicquam animos pariter profligasse (II 94, 1 ἐς δὲ τὰς Ἀθήνας φρυκτοί τε ἤροντο πολέμιοι καὶ ἔκπληξις ἐγένετο οὐδεμιᾶς τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἐλάσσων; VIII 96, 1 τοῖς δ' Ἀθηναίοις ὡς ἦλθε τὰ περὶ τὴν Εὔβοιαν γεγενημένα, ἔκπληξις μεγίστη δὴ τῶν πρὶν παρέστη· οὔτε γὰρ ἡ ἐν τῇ Σικελίᾳ ξυμφορὰ καίπερ μεγάλη τότε δόξασα εἶναι οὔτε ἄλλο οὐδέν πω οὕτως ἐφόβησεν).

Tum quod iudicium Thucydides de iacturis eorum, qui arma ferre poterant, ex pestilentia acceptis l. III. c. 87. p. 2ª fert ratus nihil fuisse, quod Atheniensium vires hoc morbo magis attereret (παρέμεινε δὲ τὸ μὲν ὕστερον οὐκ ἔλασσον ἐνιαυτοῦ, τὸ δὲ πρότερον καὶ δύο ἔτη ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν), quandoquidem quattuor milia quadringenti milites gravis armaturae et trecenti equites periissent, conciliari nequit cum l. VII. c. 87. pp. 4ª et 5ª, quo ex loco Athenienses in Sicilia fere septem milia militum amisisse discimus atque eam calamitatem et victoribus fuisse splendidissimam et victis perniciosissimam. Satis enim iam constat Classenium*) non recte affirmavisse comparari detrimentum ex pestilentia acceptum non cum cladibus, quae ex bello ipso prodiissent, sed cum aliis rebus, quae praeter bellum illis temporibus Athenienses vexavissent, quoniam talis restrictio

*) Cftr. praf. ad libr. I., p. XLI.

nequaquam verbis ipsius scriptoris continetur, sed a viro i. docto nostro loco imputata est. Neque infringitur argumentum hinc petitum, quod Helmboldius*) et Struvius**) asseverarunt conferri pestilentiam tantummodo cum ceteris cladibus ex bello vel aliunde eodem tempore, quo pestilentia per Athenienses vagaretur, acceptis; nam scriptor si tali modo iudicium coercere voluisset, non minus quam IV 12, 3 ἐπὶ πολὺ γὰρ ἐποίει τῆς δόξης ἐν τῷ τότε τοῖς μὲν ἠπειρώταις μάλιστα εἶναι καὶ τὰ πεζὰ κρατίστοις τοῖς δὲ θαλαττίοις τε καὶ ταῖς ναυσὶ πλεῖστον προέχειν addere debebat τότε vel ἐν τῷ τότε. Nec magis Kielium***) expedivisse hanc repugnantiam concedo, quod Thucydidem non universas iacturas eorum qui arma ferre poterant, sed singulas singulis proeliis acceptas cum una pestilentia illata comparasse censet; nam cum nos in tanta nostrorum armorum praestantia quattuor milia septingentos homines una pugna cecidisse facile credamus, tamen antiquis lectoribus, quibus Thucydides opus suum destinavit, hic numerus tantus appareret necesse erat, ut, cum aegre sibi persuaderent tot homines, fere sextam partem omnium qui tum arma ferre poterant virorum (cftr. II 13, 6 et 7), uno proelio occisos esse, non facile cladem pestilentia illatam cum singulis proeliis componerent. Adde quod scriptori, quippe qui detrimenta per tres annos quibus pestilentia Athenienses urguebat facta comprehenderit, nullo pacto sperare licet fore, ut legentes calamitatem trium annorum conferant cum singulis rebus gestis: immo cum l. VI. c. 12. p. 1ª et c. 26. p. 2ª bellum Archidamicum et pestilentia componantur atque instar calamitatum paris momenti paris gravitatis universae expeditioni Siciliensi opponantur, prohibemur, quominus pestilentiam cum singulis rebus bello gestis contendamus. Ergo manet repugnantia inter iudicia a Thucydide lata de iacturis et per tres morbi et per duos expeditionis Siciliensis annos factis.

Porro non poterat Thucydides l. III. c. 98. p. 4ª praedicare eos Athenienses, qui sexto belli anno in expeditione adversus Aetolos suscepta ceciderant, fuisse potissimos milites, qui in

*) Ueber die successive Entstehung des Thukyd. Geschichtswerkes p. 24.

**) De compositi operis Thucydidei temporibus p. 18.

***) Quo tempore Thuc. priorem operis sui partem composuerit p. 12.

hoc bello coacti essent, si iam tum scivisset se aliquando de exercitu et classe in Siciliam missis scripturum esse: παρασκευὴ γὰρ αὕτη, πρώτη ἐκπλεύσασα μιᾶς πόλεως δυνάμει Ἑλληνικῇ, πολυτελεστάτη δὴ καὶ εὐπρεπεστάτη τῶν ἐς ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐγένετο et mox: τὸ δὲ πεζὸν καταλόγοις τε χρηστοῖς ἐκκριθὲν καὶ ὅπλων καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα σκευῶν μεγάλῃ σπουδῇ πρὸς ἀλλήλους ἁμιλληθέν (VI 31, 1. 31, 3).

Denique scriptor l. III. c. 113. p. 6ª non debebat tam fortiter affirmare illa calamitate quam Ambraciotae perpessi essent non maiorem intra parem dierum ambitum ulli civitati per hoc bellum illatam esse, si iam tum in animo habuisset mox de caede indignissima maximaque a Thracibus Mycalessi facta iudicare: τὰ μὲν κατὰ τὴν Μυκαλησσὸν πάθει χρησαμένην οὐδενὸς ὡς ἐπὶ μεγέθει τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἧσσον ὀλοφύρασθαι ἀξίῳ τοιαῦτα ξυνέβη (VII 30, 4)*).

Sane utroque locorum, quos ultimos laudavi (III 98, 4 τοσοῦτοι μὲν τὸ πλῆθος καὶ ἡλικία ἡ αὐτὴ οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἐκ τῆς Ἀθηναίων πόλεως διεφθάρησαν et III 113, 6 πάθος γὰρ τοῦτο μιᾷ πόλει Ἑλληνίδι ἐν ἴσαις ἡμέραις μέγιστον δὴ τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε ἐγένετο) adiecit scriptor vel ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε vel κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε, unde Herbstius eam explicationem satis scite et acute excogitavit, ut Thucydidem etiam Archidamici belli historiam post finem totius viginti septem annorum belli litteris consignasse poneret sed ita a ceteris eius partibus seiunxisse et quasi sui iuris fecisse, ut quae invenirentur comparationes ad solius belli Archidamici spatium referendae essent; eundem tamen ipsis illis locutionibus ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε, κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε additis monstrare se habere cognitionem rerum insequentibus temporibus gestarum. Expediuntur hoc modo haud dubie difficultates, quas inter III 98, 4 et VI 31, 1 atque inter III 113, 6 et VII 30, 4 intercedere cognovimus; expediri possunt etiam II 94, 1, si largimur κατὰ τὸν πόλεμον eadem uti vi, qua κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε, et III, 87 2, cum subintellegemus nihil pestilentia magis Atheniensibus nocuisse per primi

*) Cum iis, qui in hanc disceptationem nondum inquisiverunt, communico primum et tertium ex hisce locis ab Ullrico, alterum quartum quintum ab Herbstio investigatos esse.

decem annorum belli spatium; non expeditur difficultas, quam in II 54 pp. 2ª et 3ª latere vidimus. Porro legentes ut quattuor illis locis de solo bello Archidamico cogitare, sed iidem suspicari possent similes res etiam posterioribus totius belli partibus esse gestas, debebant certe et conexum trium belli partium perspicere et a scriptore edocti esse, ut et ipsi historiam belli Archidamici a ceteris eius partibus secernerent. At si Thucydidi confidere licuisset lectores cohaerentia trium quasi belli periodorum intellecta ad commentarios suos aggressuros esse, quid quaeso oportebat medio in opere subito multis verbis (capitibus 25° et 26° l. V.) disserere, quo iure bellum Archidamicum, dubiam pacem, bellum Deceleicum pro uno habuisset? Dein videamus, qua ratione scriptor prospexerit, ut historia belli Archidamici a ceteris separata consideraretur. Atque cum persuasum habeam Herbstium rectissime demonstrasse*), quaecunque inde a primi libri capite 1° ad c. 23^{um} prooemii loco legamus, ita comparata esse, ut Thucydides grande viginti septem annorum bellum memoriae tradere videatur, res Corcyraeas et Potidaeenses certe legimus rati totius belli causas et origines enarrari, quae opinio confirmatur quod I 93, 5 καὶ ᾠκοδόμησαν τῇ ἐκείνου γνώμῃ τὸ πάχος τοῦ τείχους ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι περὶ τὸν Πειραιᾶ[...]ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν (verba enim δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον spuria esse cum Kruegero Herbstio**) consentio) sine dubio tempus significatur diruta anno 404° moenia et expugnatam urbem insequens. Iam cum libri alterius prima verba intuemur ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων καὶ τῶν ἑκατέροις ξυμμάχων, memores ab eisdem fere verbis totum opus principium duxisse (I 1) expectamus ipsius universi belli descriptionem nunc incipere et opponi causis et originibus narratis itaque iudicio non praeoccupato enuntiatum relativum ἐν ᾧ οὔτ' ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν ad ultima libri primi verba αἰτίαι δὲ αὗται καὶ διαφοραὶ ἐγένοντο ἀμφοτέροις πρὸ τοῦ πολέμου, ἀρξάμενοι εὐθὺς ἀπὸ τῶν ἐν Ἐπι-

*) Philologi vol. 38[1] pp. 534—547.

**) Philol. 38, 549—552.

δάμνῳ καὶ Κορκύρᾳ· ἐπεμίγνυντο δὲ ὅμως ἐν αὐταῖς καὶ παρ' ἀλλήλους ἐφοίτων ἀκηρύκτως μέν, ἀνυπόπτως δὲ οὔ referemus cum Schoenio*) ac censebimus initium veri belli designari: adhuc commeatus inter Athenienses et Lacedaemonios fuerat, hinc, a vere anni 431[i], non iam alteri ad alteros commeabant; adhuc neque ad verum bellum accesserant neque continuo inter se bellaverant, hinc ad apertum bellum progressi (καταστάντες) continuo dimicant; possunt igitur haec verba ad bellum et viginti septem et decem annorum spectare. Kielius**) sane perspicue censet bellum Archidamicum a toto distingui imperfectis incohandi vi tributa sic interpretans: incipit hinc bellum Atheniensium et Peloponnesiorum (nimirum 27 annorum), quo ineunte h. e. cuius per primam partem nullis iam inter se commerciis sine caduceatore utebantur et bellum, quod susceperunt, pergere coeperunt; at cum imperfecto ἐπεμίγνυντο l. I. c. 146° indicetur per amplius temporis spatium commerciis eos inter se esse mistos, nemo insequenti statim capite eidem illi ἐπεμίγνυντο aliam tribuet notionem nisi, ut aeque spatium aliquod significetur. Herbstius hoc enuntiato scriptorem curasse censet, ut historia belli Archidamici a ceteris partibus secerneretur; nam cum verba ἐν ᾧ οὔτ' ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν ita intellegat***), ut censeat verbis οὔτ' ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεί denotari illos octoginta dies inter incursionem in Plataeas factam et primam invasionem a Peloponnesiis in Atticam susceptam intermissos, verbis καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν reliquam primi decem annorum belli partem, haud dubie ad belli solius Archidamici descriptionem revocamur. At ne repetam quas difficultates satis graves neque ab Herbstio plane expeditas in hac interpretatione inesse comprobarunt Meyer†) et Kielius††), vir ille doctus legentibus hanc enuntiati mentem non satis esse perspicuam concessit, cum in Philologi vol. XL. p. 298 haec

---

*) Bursian Jahresbericht a. 1875, I. p. 830 et 831.

**) L. l. pp. 39 sqq.

***) Philol. 38, pp. 507—511.

†) Quibus temporibus Thucydides historiae suae partes scripserit pp. 4 et 5.

††) L. l. p. 42.

scripsit: Soll doch getadelt sein, würde ein Vorwurf eher nicht diesen Schluss (V 24), sondern schon den Anfang jenes erste ξυνεχῶς im Beginn der Erzählung (καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν) zu treffen haben. Aber der spätere Leser kann die Aufklärung über **das ihm etwa noch nicht voll verständliche Wort,** das er hier als Merkmal des zu erzählenden Krieges erhält (scilicet ξυνεχῶς), von dem Erfolg der Erzählung ruhig abwarten, der zeitgenössische, der den ganzen Krieg miterlebt hat und das Werk erst nach dem Ende des ganzen zu Händen bekommt, bringt ohnehin das Verständnis wie von jenen Angaben über die τελευτή so auch von diesem ξυνεχῶς mit sich selber herzu. Igitur cum ad initium alterius libri accesserimus sperantes universum bellum nunc enarrari, quae spes corroboratur, quod alter liber sollemnem in modum incipit, ac ne nunc quidem dilucide edoceamur seiungi historiam belli Archidamici, quin etiam bellum decem annorum ne claris quidem verbis designetur, qua tandem ratione poterimus libros alterum tertium quartum ita perlegere, ut nusquam memoria non teneamus scriptorem bellum Archidamicum a ceteris totius belli partibus secretum referre, eundem tamen cognitionem totius belli et habere et prodere? Nequaquam autem id faciemus, si interpretationem verborum ἐν ᾧ ... ἐπολέμουν a Schoenio prolatam probaverimus: quam cum ne Herbstius quidem reicere ausus sit, solam esse veram propter vocem ἔτι, quam nemo ad l. I. c. 146^{um} redire negabit, et vocem ξυνεχῶς rectius intellectam arbitror. Herbstius sane voce ξυνεχῶς proprietatem belli decem annorum contineri opinatur nisus eo potissimum, quod l. V. c. 24. p. 2^{a} et l. VI. c. 26. p. 2^{a} eadem notio de bello decem annorum usurpata est (V 24, 2 ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται et VI 26, 2 ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου), sed suo quoque loco haec vox suam habet vim neque ei adeo inter se iunguntur, ut liceat colligere τὸν ξυνεχῆ πόλεμον esse idem fere atque bellum Archidamicum. Atque V 24, 2 miramur, quod, cum duo bella continenter sint gesta, Archidamicum et Deceleicum, scriptor adhibuerit ὁ πρῶτος πόλεμος aspernatus sit ὁ πρότερος πόλεμος, neque id aliter expeditur, nisi quod

scriptori ex ratione l. V. c. 26. p. 2ª exposita licuit tempus dubiae pacis et ipsum loco belli quamquam neque aperte neque continenter gesti habere; ergo V 24, 2 opponitur primum bellum, quo perpetuo decertatum est, insequenti totius belli parti, per quam id non factum est. VI 26, 2 autem haec notio addita est, ut declaretur, quo modo Atheniensium vires tantopere debilitatae et fractae sint, et longum illius belli sine ulla intercapedine gesti spatium efferatur. Denique ut V 24 voce ξυνεχῶς oppositio fit inter bellum praegressum et insequentem pacem dubiam, per quam neque apertum neque continens bellum erat, sic l. II. c. 1° post praecedentem dubiam pacem veri belli natura describitur. — Sed sive recte sive falso haec a me disputata sunt, Herbstius ipse concessit non plane sufficere haec verba (II 1) ad consilium et rationem, qua historia belli Archidamici instituta sit cognoscenda; ergo videamus quomodo nihilosecius scriptor effecerit, ut bellum Archidamicum affatim a reliquis belli partibus segregarent legentes. Quam maxime autem Thucydides consilio suo adversatur, quod iam l. II. c. 9. p. 8ª Πελληνῆς δὲ Ἀχαιῶν μόνοι ξυνεπολέμουν τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ ὕστερον καὶ ἅπαντες lectorum, qui quidem belli Peloponnesiaci gnari essent, animos a bello Archidamico deducit ad bellum Deceleicum, quandoquidem hoc demum Achaei omnes a partibus Peloponnesiorum stabant (V 82, 1); qui vero inscientes sunt, valde haerebunt ambigui: nam si II 1 de toto 27 annorum bello erunt interpretati, recte de posteriore parte, de bello Deceleico, cogitabunt nec vero difficultates supra prolatas cum Herbstio dirimere poterunt; sin autem ad huius viri docti sententiam sese inclinaverint, etiam spatium illius ὕστερον finibus belli Archidamici coercebunt, quo facto falsa sibi persuadebunt, quandoquidem Achaei omnes initio demum decimi quinti anni ad societatem Peloponnesiorum se applicare sunt coacti! — Nec minus lectores ut ad tempora bello Archidamico posteriora delabantur, l. II. c. 48. p. 2ª κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι impelluntur, quoniam Ullricus*) satis probabiliter comprobavit puteos inde ab anno 414° demum in Piraeo fuisse. — Atque cum conspiciamus, qua ratione

*) Beiträge zur Erklärung des Thucydides, p. 78, Anm. 102.

l. II. c. 65. pp. 7ª sqq. Pericles dilucide conferatur cum Alcibiade, cum reputemus in eo enuntiato, quo illis qui post Periclem rem publicam Atheniensium administraverunt crimini datur, quod sui emolumenti gratia civitatem ad summa pericula subeunda incitaverint, quae si prospere successissent, eis honorem et gloriam comparatura fuerint, cum vero male cecidissent, rei publicae summo ad bellum gerendum detrimento (II 65, 7) — in hoc enuntiato verba ἐc τὸν πόλεμον manifesto spectare ad universum bellum Peloponnesiacum, cum II 65, 13 τοcοῦτον τῷ Περικλεῖ ἐπερίccευcε τότε ἀφ' ὧν αὐτοὺc προέγνω καὶ πάνυ ἂν ῥᾳδίωc περιγενέcθαι τῶν Πελοποννηcίων αὐτῶν τῷ πολέμῳ finem totius belli prospici videamus, qua tandem causa commovebimur, ut l. II. c. 94° cum Herbstio convenientes illud καὶ ἔκπληξιc ἐγένετο οὐδεμιᾶc τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἐλάccων ad solum bellum Archidamicum referamus, praesertim cum l. II. c. 100. p. 2ª ἦν δὲ οὐ πολλὰ ἀλλὰ ὕcτερον Ἀρχέλαοc κτέ commemorato Archelao, qui anno 413° Odrysarum regnum suscepit, rursus ad bellum Deceleicum attendamur? Nec magis, postquam libri tertii capite 82° imperii quadringentorum, dominationis triginta virorum, totius belli admoniti sumus, propensi erimus, ut quinque capitibus post verba ὥcτε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωcε τὴν δύναμιν tam late patentia intra fines belli Archidamici cohibeamus. Secuntur deinde duo illi loci (III 98, 4 et III 113), quibus habemus vel ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε vel κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε. Hisce locutionibus ut designari solum bellum Archidamicum statuere liceret, Herbstius olim (Philol. 38, pp. 522—27) acutissime eam inter collocationes pronominis ὅδε differentiam enucleaverat, ut in priore historiae parte i. e. libris II ad V 24 poneret locutione ὅδε ὁ πόλεμοc indicari bellum viginti septem annorum, locutione ὁ πόλεμοc ὅδε bellum Archidamicum: nunc postquam et a Meyero*) et a Kielio**) ea sententia acerrime impugnata est, indicis philologici a. 1881[i] pp. 162 ad 164 eandem denuo proposuit discrepantiam, nova tamen ratione explanatam. Haec est: si pronomen ὅδε praeponitur,

*) L. l. pp. 10—12.

**) L. l. pp. 25 sqq.

ipsa illa praepositi pronominis vi substantivum quod insequitur ex ordine ceterarum eiusdem generis rerum extollitur eisque opponitur, locutione igitur ὅδε ὁ πόλεμος hoc bellum ceteris opponitur; sin autem postponitur, prius movetur cogitatio ipsius rei et affixo pronomine commovemur, ut eam quam accuratissime inspiciamus pro sua vi magnitudine terminis, igitur ὁ πόλεμος ὅδε est id bellum, quod nunc describitur atque hinc illuc pertinuit. At ne moneam hanc differentiam tam subtilem esse, ut, etsi sentiretur, tamen scriptori non liceret eam ad res et ipsas subtiliores definiendas adhibere, Herbstius ultro haec fatetur: Wer nun dafür hält, dass der Schriftsteller sich immer und überall in der Beschreibung des ganzen, des 27jährigen Krieges bewegt, kann also ersichtlich aus diesem Unterschied keinen Gewinn ziehen; wer dagegen erkennt, dass Thukydides von II 1 bis V 24 bewusst und ausgesprochener Massen einen besonderen Theil des ganzen Krieges, und zwar den ersten 10jährigen beschreibt, für den ist auch sofort der Ausdruck ὁ πόλεμος ὅδε in den genannten Büchern auf die ersten 10 Jahre begrenzt und in den einzelnen Fällen die bestimmte Erklärung gegeben. At equidem quaero, unde tandem comperiamus Thucydidem bellum Archidamicum ut perculiarem partem describere et secernere a ceteris nisi ex hisce locis, quaero, unde id usque huc didicerimus, ut eam intellegentiam his locis admoveamus? Adhuc praeter l. II. c. 1^{um}, quem locum aliter interpretandum esse censui, obscuriorem esse Herbstius ipse largitus est, tale nihil usquam quicquam audivimus: immo compluries ad posteriores belli partes attenti sumus, quin etiam planus et apertus error II 9, 8 prodiit si Herbstii enucleationem amplectimur. Neque vero ullo pacto a me impetrare possum, ut censeam Thucydidem, quem omnes omnium temporum homines litterati principem rerum scriptorum duxerunt, adeo omni arte ac ratione in digerendo et instituendo opere caruisse, ut legentes de consilio singularum eius partium ipse incertos redderet. Nam quam difficile sit cognitu illud consilium, quo Herbstius belli Archidamici historiam conscriptam esse opinatur, indicium haud spernendum inde petiveris, quod ante Ullricum nemo verba illa l. IV. c. 48. p. 5^{ae} ad solum hoc bellum rettulit et vel ii viri docti, qui de rebus

Corcyraeorum disputaverunt, locum Diodori, unde discendum erat anno 410° novos in illa insula ortos esse tumultus, neglegendum esse sibi persuaserunt, nempe quia propter Thucydidem confidebant ante annum 404^{um} nullas iam ibi fuisse discordias. Huc accedit, quod difficultas in l. II. c. 54. p. 2^a et 3^a latens hac ratione nequaquam expeditur. Denique a veri specie prorsus abhorret Thucydidem, quem primum conexum belli Archidamici, dubiae pacis, belli Siciliensis Deceleici perspexisse et opere suo comprobare voluisse Ullricus*) luculenter demonstravit, ita sibi ipsum obfuturum fuisse, ut nihilominus primam totius belli partem a ceteris sepositam sui iuris faceret, cum tamen quam maxime eius interesset, ne vel in minutis rebus legentes obliviscerentur spectare unamquamque ad universum viginti septem annorum bellum. Quapropter Herbstii ratio explanandi hanc difficultatem videtur abicienda esse.

Nec magis Kielium**) difficultates prolatas amolitum esse concedo, quod l. III. c. 54. p. 2^a εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἀγαθὸν πεποιήκαμεν comparata cum c. 52. p. 4^a εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷ καθεστῶτι ἀγαθὸν εἰργασμένοι εἰσίν sibi persuasit locutiones ὁ πόλεμος ὅδε et ὁ πόλεμος ὁ καθεστώς idem sibi velle et utraque significari „bellum quod hucusque gestum est atque etiamnunc geritur“. Nam primum ne in hos quidem locos, e quibus vir i. d. notionem pronominis ὅδε postpositi indagavit, ea bene quadrat; sicuti enim III 98, 4 . . . οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἐκ τῆς Ἀθηναίων πόλεως διεφθάρησαν ex hac interpretatione centum illi et viginti viri cum eis solis comparantur, qui eo usque bello perierant, tacite autem excluduntur et opponuntur, qui postea ceciderunt, praecipue qui expeditionis Siciliensis participes erant, sic Lacedaemonii videntur sperare futuris fortasse temporibus se aliquid boni a Plataeensibus accepturos esse nec vero id curantes solummodo inquirere, num ad id tempus Plataeenses sibi quicquam profuerint; vides tali illius ὁ πόλεμος ὅδε interpretatione Peloponnesiorum interrogationi sensum obtrudi, qui certe in ea non inerat. Tum Herbstius in ind. philol. a. 1881^i p. 165^a

*) Beiträge zur Erklärung des Thucydides pp. 1—61.

**) L. l. pp. 27 sqq.

dissertationem Kielii censens docuit cum compluribus locis veluti VI 17, 5 et VII 87, 5 hanc explicandi rationem nequaquam posse conciliari. Denique nonnullis locis, quibus ea ferri certe potest, talis tamen evadit sententia, ut illud ὁ πόλεμος otiosissime videatur oppositum esse. Veluti IV 133, 3 ἔτη δὲ ἡ Χρυσὶς τοῦ πολέμου τοῦδε ἐπέλαβεν ὀκτὼ καὶ ἕνατον ἐκ μέσου, ὅτε ἐπεφεύγει, cum ex III 116, p. 3ª octo praeteriisse adhuc belli annos non ignoremus et, quod statim aestas conficitur, colligamus anni dimidiatam partem accessisse, quid sibi velit illud τοῦ πολέμου τοῦδε, non facile perspicitur; quin etiam hunc sensum paene insanum accipimus: belli quod adhuc gestum est (nimirum per octo annos et noni dimidiatam partem), Chrysis octo annos et noni dimidiatam partem degit. Certe illud τοῦ πολέμου τοῦδε explicari nequit, nisi scriptoris animo obversatum esse pones aut universum bellum Peloponnesiacum aut Archidamicum. Atque IV 48, 5 quoque (καὶ ἡ στάσις . . . ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε) ipsi scimus Corcyraeorum seditionem, si quando finem habuit, habuisse finem in illa quidem belli parte, quod huc usque gestum et narratum est; poterat igitur illud ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε scriptor, si nil nisi hoc exprimere voluisset, prorsus omittere nullo sententiarum damno et anno 410°, cum denuo tumultus in illa insula orti essent, sine ulla dubitatione eos memorare, quandoquidem IV 48 minime ita locutus erat, tamquam omnes in omne aevum discordiae essent compositae.

Itaque quoniam repugnantias supra monstratas nullo pacto dirimi vidimus, si Thucydidem post a. 404^{um}, cum totum bellum novisset, eo consilio, ut tres eius partes uno opere consignaret, ad scribendum accessisse statuimus, non dubito Ullrico adstipulari, quod historiam belli Archidamici statim post a. 421^{um} conscriptam esse arbitratur. Nam quamquam scriptor, ut erat praeter ceteros perspicax ad condiciones rerum publicarum diiudicandas, fortasse opinabatur nondum omnem contentionem sublatam esse sed aliquando denuo exarsuram, tamen temporibus proximis quidem pacem Nicianam insequentibus vix quisquam conicere poterat bellum tam brevi spatio interiecto de integro excitatum iri; itaque cum Thucydides ipse l. I. c. 1° ab initio statim belli se descriptionem paravisse et animo molitum

esse affirmet, mirum esset, si non ilico, cum pax esset facta contentionesque compositae viderentur, ad efficiendum consilium accessisset. Si vero Thucydides cum libros de bello Archidamico conscripturus esset, bella Siciliense et Deceleicum nondum habebat cognita, vides summo iure eum potuisse quinque illa ferre iudicia, quibus nos nunc offendimur.

Eos autem locos, qui Thucydidem totum bellum cognitum habuisse testantur, alteri curae deberi mihi quidem iam constat. Kielius*) sane ne de retractata historia belli Archidamici cogitet eo prohibetur, quod Thucydidem, cum ab a. 415° ad a. 404^{um} opus de bello Archidamico non inspexisset, debuisse, ubi primum id evolvisset, locis supra allatis offendi et medicinam iis adhibere persuasum habet. Sed cum reputem, quot quantaeque repugnantiae per tot saeculorum decursum in scriptis veterum a viris doctis nec non acutis sint patienter perlatae, mihi non videtur absonum quinque illos locos fugisse Thucydidem opus relegentem, praesertim quod, quicunque libro scribendo operam navarit, mecum sentiet errorem semel litteris consignatum multo difficilius inveniri et corrigi, quam textum adnotationibus augeri. Porro equidem ignoro, unde Kielius compertum habeat, Thucydidem per undecim illos annos opus omnino nunquam adspexisse: immo mihi non videtur veritatis speciei adversari scriptorem nunquam opus suum elimare et effingere plane destitisse, quandoquidem orationem Atticam ad magni belli descriptionem primus adhibebat et pro gravitate et dignitate sententiarum in tanto brevitatis studio haud dubie unum alterumve locum facile ter quaterve mutabat, et emendabat. Ergo nihil impedit, quominus retractationem statuamus: de ea sola quaestione ambigitur, qui loci qua de causa videantur inserti esse. Longum autem est et a consilio huius disputationis alienum fusius disserere, quid de singulis locis sentiam, praesertim cum permulta ab aliis iam prolata essent repetenda; hoc tantum moneo longe mihi videri illos a recta aberrare, qui ubicunque retractatum esse proprium textum ponunt, ibi vestigia quoque alterius curae investigare student; nam qui talia se indagaturos esse sperant, Thucydidi inscitiam

*) L. l. p. 12 et 13.

et indiligentiam in inserendis partibus tribuunt, quae ab hoce scriptore quam maxime prohibenda est. Ex eis autem, quae supra (pp. 37 sqq.) de l. V. cc. 20° ad 24^{um} disputavimus, videtur elucere universum opus nondum accepisse ultimam limam: hinc conici licet, quae inveniuntur belli Siciliensis et Deceleici mentiones, eas hac illa occasione oblata potius quam in retractatione via et ratione instituta textui esse admistas, ut mirandum non sit fugisse scriptorem paucos illos locos. Quodsi id statuitur, vides affatim declarari, cur Thucydides modo totum bellum Peloponnesiacum modo Archidamicum solum videatur describere, neque ea varietas arti scriptoris vitio erit danda sed paene necessaria est, quod historia belli Archidamici ex perfecto libro pars maioris operis est facta nec tamen funditus recensita neque accommodata. Haec hactenus!

Curriculum vitae.

Natus sum ego, Henricus Ludovicus Schmitt, pridie Id. Mart. anni 1861 Monasterii, in vico Nassoviensi sito prope amniculum, qui dicitur Lahn, patre Henrico Christiano, matre Anna Maria de gente Klaas, quibus adhuc vivis gaudeo. Fide initiatus sum evangelica. Inde a vere a. 1870 gymnasium frequentavi Aquis Mattiacis per novem annos: cum omnibus praeceptoribus, qui eruditioni meae operam dederunt, tum Buesgeno, Reinholdo Muellero, Ottoni, directori Paehlero, qui aut grammaticen docendo aut scriptores veteres interpretando studium amoremque litterarum Graecarum et Latinarum meum excitarunt, summam habeo gratiam semperque habebo. Cum testimonium maturitatis adeptus essem, vere anni 1879 Lipsiam me contuli, ubi per octo semestria philologiae studium exsecutus sum. Proseminarii philologici sodalis per duo semestria, seminarii philologici per duo semestria sodalis fui ordinarius, seminarii germanici per haec quattuor semestria sodalis sum extraordinarius. Societatis philologicae Ribbeckianae per quattuor semestria fui sodalis, societatis cognoscundis antiquitatibus Graecis Lipsianae per haec sex semestria sodalis, per haec quattuor semestria sum eius senior. Scholis interfui Arndtii Brugmani Curtii Ecksteinii Heinzii Langii Lipsii Overbecki Ribbecki Zarnckii Voigtii. Omnes hos viros, praecipue vero Langium Lipsium Ribbeckium, quippe qui opera et consilio studia mea benevolentissime adiuvarint, pio gratoque animo colo neque unquam colere desinam.

MAR 30 1887

Gt 55.594
Quaestiones chronologicae ad Thucyd
Widener Library 006889867
3 2044 085 174 753